~~C. 23. 12. J. M. 28. B. 10. 49~~

Epistolaris Diatribe,

Z. 23. 38. ~~C. 13. 38~~

Una de Altera { *Fide Rationali,* / *Gratiâ Salutari.*

KKK. 694

His

Subnexa est, de Voluntate etiam ab ultimo dictamine Intellectûs *Liberatâ,*

Brevissima Dissertatio.

Quas

In Amicorum gratiam Typis permisit

RI. WATSON Londinensis.

Tert. *De Pœnit. Quia Deus, omnium conditor, nihil non* ratione *providit, disposuit, ordinavit, nihil non* ratione *tractari, intelligique, voluit.*

Londini, Impensis [redacted], ad Insigne *Soleæ,* in vico vulgo vocato *Old Baylie.* 1661.

UNIVERSITY LIBRARY
SE 16
1920
CAMBRIDGE

21...52

Reverendißimi, atque omnifariam Ornatißimi, Decani Eccleſiæ, olim Canonicæ Sanctæ Buriena, apud Occidentales Britones;

Εὐλόγιμον.

Mi Doctißime, Literatißime, Amicißime Watſone,

QUàm verè & prudenter *D. Hieron. in Epiſt. 2. ad Nepotian.* literatos præmonuit, qui monu-

menta famæ procudunt, ut de duobus alterutrum expectent: Aut nihil scribendum; aut, si scribant, omnium in eos maledicorum tela esse detorquenda: Hoc ipse, hoc alii senserunt, quos innocens laurus, aut honesti nominis propagatio, ultra metas vulgi, in sublime evexit: Nec enim se fortem habere meliorem *Hieronymus* existimavit, quàm *Clemens Alexandrinus*, *Hippolytus Martyr*, *Tertullianus*. *Julius*, *Eusebius*, jampridem nacti essent, quorum

rum ne unus quidem calumniantium invidos morsus evitavit: Et quid de me fiet, inquit, si tanti, támque eximii viri fastidiosis lectoribus displicuere. *In proœmio ad 11. lib. Esai.*

Id si temporibus *D. Hieron* contigerit, & longè retrò seculis, quid censes nunc dierum fore? An genus humanum ad meliorem frugem rediit? An hodierni *Vespæ* minùs pungunt? obtrectatores minùs lancinant, & cruentant?

Cùm totus orbis eousque in maligno sit mersus, & sæva ubique regnet Philautia, ut sæpe damnent pessimi criminatores ingenii fœtum omnem, antequam in lucem prodeat, sicut olim obstetrices *Egyptiæ Hebræorum* masculos jugulârunt: Et certè an dicendi, scribendíve, Cacoëthes huic ævo sit magis ingenitum & nativum, haud in promptu est expedire: Omnes in universum homines *Narcissi* sunt suorum operum, nec minùs acri-

acriter de aliorum ſcriptis nigrum calculum ferunt, qualem & ipſi, vice verſâ, ab aliis, cùm ſcribunt, merentur; ut plurimorum indolem & mores in fœdiſſimam lacunam ſuperbiæ, livoris & maledicentiæ degenerâſſe arbitrarer.

Haud ſcio, an ad manus tuas pervenerit liber vernaculus, ante aliquot menſes è prælo *Antwerpienſi*, quem *Virorum Politicorum Novam Inſtitutionem*, ſeu *Catechiſmum*, Anonymus author inſcripſit: Et bene

ſibi conſuluiſſe vir ille viſus eſt, qui nomen ſubticuerit, ut eo ſecuriùs perfrictæ frontis væcordiam celaret, & impudentiùs feriret, quem vellet, à ſecreto: Nonnulli tamen, ne longiùs errent in Indagine, *Anglum*, neſcio quem, *Jeſuitam* authorem muginantur: Adeò nos patriotarum & tribulium noſtrorum armis perpetuò confodimur, et turdus ſemper ſibi cacat malum.

Sed ſive noſter ſit, ſive alienigena, bone Deus, quàm

quàm typho ſeculari intumeſcit! quàm nobis, noſtríſque miſeriis, illudit! & rerum humanarum pariter ac divinarum Immemor, æquanimitatem, & *Chriſtianæ* mentis candoré malitiæ *Tartareæ*, ac diabolicæ Invidiæ, longè poſtponit! Quæ plauſtra convitiorum in nos convolvit? quæ ſcommata, dicteria, mendacia? quas offas fermenti *Phariſaici*? Horreo meminiſſe quæ, non ſine ſummâ faſtidientis ſtomachi nauſeâ, illic perluſtravi:

Nihil in illo viri ingenui deprehendes, nihil limati judicii, sed in suas partes præceps, dum hoc cretâ linit, illud cerussâ, ut fit in pergulis pictorum, Veritas in Medio strangulata concidit. Nec inaudita hæc & nova, sed vetus, ante primordia nostrorum motuum, querela, fatalis huic seculo rebelli, & nostræ imprimis genti: Clamet *Melicerta* perisse Frontem de rebus, quando omnes Nundinæ his mercibus crepant, &, post *Miltonos*,

Hob,

Hobbiósque, venena sua spargunt *Jesuitæ Angli*, eisdem cunis orti, eodem sanguine lactati: A quibus nihil speres, præter subdolum, vafrum, & hostile, dum nostram in religione constantiam, & erga Principem fidem, odio plusquam *Vatiniano* abhominantur: Et sane permirum esset, nisi inter hosce *Jesuitas*, aut *Getas*, aut *Barathri* incolas, homines reperiri posse, tam ferreos, ac conditionis humanæ tam prorsus oblitos, ut se nostris infortu-

niis

niis oblectent, quos probè ſciunt quatuordecim annorum exilio perfunctos, in exteris errare, ſine aris & focis: ac in vitâ ærumnoſâ pariter ac turpi, deſtitutos omni ope, ac ſubſidio, trementes & palabundos conſeneſcere.

Sed eia, expergiſcere, Mi *Watſone*, ſtringe calamum, exere virtutem ſolitam: Non quòd te vellem in arenam deſcendere cum rixoſis rabulis, & blateronibus, qui omnem verecundiæ & pietatis ſcamma

tran-

tranſiliunt : ſed ut exemplo doceas, & ſcribendi genere, quid ſit moderatè, & ſanctè ſapere : Certet tuus decor & pudor cum iſtorum tenebrionum barbarie, & effrænatâ licentiâ, Redde nobis palatum & guſtum bonarum artium, quem iſti probroſi adulterârunt; Novi, quantum emineas in profundâ eruditione, in ſtylo quàm elegans & comptus : Legi, non ita nuper, ἀνέκδοτον tuum de *Fide*, de *Gratia Dei*, &

& humani arbitrii libertate; quo nihil terſius, nihil doctius, nihil ſublimius: Ac quanquam de eodem Argumento, ante multa ſecula, ſcripſerint et D. *Hieron.* et *flos omnium Ingeniorum*, ut D. *Auguſt.* idem *Hieron.* nuncupat, et poſteà *Scholaſticorum* ingens turba; ita tamen tractas, et recoquis, ſingula exactè ad amuſſim tuam, ut novo quodam nitore ſenſus *Patrum* reflorere, et, longè ſupra *Scholaſti-*

cos, eloquentiæ *Ciceronii*, aut *Quintiliani*, in te revi-viſcere videantur; Ne no-bis invideas hoc oppor-tuniſſimum beneficium, aut ſi id genus quid ſubti-lioris fili manibus texis. Perfunde nos Gratiis tuis, et hoc ſeculum immite, ac Bacchabundum, amæ-niſſimis ingenii tui floſcu-lis permulce: Ego tantùm ἐνδόσιμον præcino, rogóque, ut te excitari ad gloriam patiaris ab eo qui longâ calamitatum ſerie, acſolli-

ci-

citudinum, proſtratus, aliis quotidie curis immoritur, et contabeſcit.

Tuus ad aras,

Rob. Creyghtone.

Dat. *Bruxellis* 6. ante *Calendas* Junii 1658.

Epiſtola

Epistola Prima,

DE

Fide Rationali.

In quâ disceptatur, quatenus *Ratio*

Sit *Fidei* subministra.

Summarium.

1. *Cur in publicum datur privata hæc ventilatio?*

2. *Indulgenda aliqua* Clericis *licentia* de Fide *disputandi, modestè interim, nec ita ut* Pyrrhonica *sit introducta* Theologia.

3. D. Joannis *monitu*, Spiritus probandi, δοκίμιον τῆς πίστεως.

4. *Quæstionis termini breviter explicantur.*

5. *Columnæ quatuor instruendæ sententiæ.*

6. [*Prima.* Quæcunque credimus ex revelatione divinâ credimus.]

7. *Ani-*

7. *Animadvertitur in* Ethnicos *Philosophos, hæreticósque* Christianos, Arthemonitas, Manichæos, *ipsúmque adeò P.* Abailardum, *hyperaspistas* Rationis *nimiùm pertinaces.*

8. *Subjecta quæstio.* [An fides naturali evidentiæ adducta antecedenti rationi innitatur, an supervenienti revelationi?]

9. *Peccat* Estii *sententia contra decretum Theologorum.*

10. *Circulus* Soti, *quo frustra* Gymnosophista *aliquis tentaretur. De* Pauli *pennulâ*, 2 *ad* Timoth. 4. 13.

11. *Promovetur* Bonaventuræ *distinctio, de certitudine* speculationis & adhæsionis.

12. *Ad quæstionem respondetur, fermè ex sententia* Pelbarti & Altisiodorensis.

13. [*Se-*

13. [*Secunda columna*, Quæcunque ex revelatione divinâ credimus, liberè credimus.]

14. *D.* Hieron. *etymon* τῦ Revelare.

15. *S.S. Patres de excellenti lumine* fidei *loquentes, quomodo intelligendi : citatur* Chryſoſtomus *in* 1 *ad* Cor. 4.

16. *Perpenditur* Suarezii *ratio & approbatur.* Voluntati *ſua libertas conſervatur.*

17. *Theſeos veritas ſacri* Codicis *authoritate nititur.*

18. [*Columna tertia*, Quæ libere credimus, non ſine ductu Rationis credimus.]

19. Mocenici *quinque* Rationis *ſtadia.*

20. Διάνοια Scaligeri.

21. *Fides* Clementina.

22. *Quod authoritati* Eccleſiæ

cleſiæ *defert* Auguſtinus, Rationi *non detrahit.*

23. *Concitata* Tertulliani *triga ſiſtitur.*

24. *Fides* Platonica.

25. Ratio *in Academiâ* Domina; *in Eccleſiâ*, Liberta.

26. [*Columna quarta, quæ & ultima.* Qui rebus fidei, excluſâ Ratione, immobiliter aſſentiunt, leviter credunt.] *Contra hodiernos* Enthuſiaſtas.

27. Franciſci de Marchia *hæreſis apud* Alphonſum de Toleto.

28. *Lumen medium* Henrici.

29. Πίστις αὐτοφῶς Jacobi de Appannis.

30. *Noſtri Interpretes* N. T. *obſervati ad* 1 Pet. 3. 15. & Heb. 10. 23. *Ubi abundans cautela* Aquinati *non nocuit.*

31. *Quid*

31. *Quid sit* ratio apologetica Petri, *notatur.*

32. *Decreto* Innocentii παραάλληλον.

33. Dominici Bannes *temerè indulta Rusticis privilegia.*

34. *Eorum instituendorum strictior methodus & tutior. Quam tenentibus non defutura est apologia.*

35. P. Abaitardi *fundamentum à* D. Bernardo *consussum, à* P. Suarezio *quodammodo restabilitum.*

36. Cajetani *sententia vix à processu infinito retinetur.*

37. *Auguratur* Bannes, *non asserit; Ad id in quo instat, de* lumine infuso, *respondetur; Quod ipse sibi respondet, tollitur.*

38. Altisiodorensi *assentitur.*

39. Do-

39. Dominici Soto *dubietas aliqua* fidei *non prorſus rejicitur. De* privilegiatis *ampliatur.*

40. Moralis *certitudo plurimorum non excludit paucorum* indubiam.

41. *Qualis ſit* fides *qu* rationalis *dicitur, liberè explicatur.*

42. *Altiora ſpeculantibu non invidetur.*

43. *Author ſententiæ, ſati antiquæ, quamvis noviter tractatæ, ad* Eccleſiæ Catholicæ *pedes proſternitur.*

De Fide Rationali.

R. W.

Amicorum pari optimo

..... & .....

S. P. D.

SI non numero magis ſcriptorum perſpicerem, quàm argumentorum pondere pleraſq; hodie cauſas æſtimari, non ita facilè manibus elabi paterer, publicéque diſtrahi, quæ, olim intra privatos parietes pro 1.

officio disceptata, cùm debilis judicii conscientia, tum, alienæ satis æmulatrix, modestia, aut *Vulcano* feciſſet hostiam, aut pabulum tineis in scrinio concluſiſſet. Nec tamen ambitus est explere censum, aut vacivam aliquam stationem occupare, iniquis maledicorum hominum opprobriis, aut inertiam nobis, aut inſcitiam etiam in exilio, objectantium (quos tamen noverim exutos campis, & armaturâ omni literariâ destitutos) indignanti lubet animo occurrere; præsertim ſiquid (Gemelli mei) in scriptis habeo quod junctive

veſtrum votis inſerviat, aut tempeſtivum dubiis conſilium ſubminiſtret. Eò ſi proficiat hæc mea, utcunque temeraria, conceſſio, nihil omninò minorum gentium cenſuras morabor, nec ſeveriorum hominum, *ſupercilio* magis, quam *ratione*, contra Rationem judicantium, ſententias prætimeſcam.

Sed de *fide Chriſtianâ* publicè ſcribere, *Marciani*, illius Chriſtianiſſimi Imperatoris, reſcripto erat olim interdictum, hoc ſc. *Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Chriſtianâ publicè tractare conetur in poſterum.* 2. *Vid Caranz. ſum. Chalced. Concil. Act. 6.*

Sic *Papa Innocentius*, Epistolâ 194. apud *D. Bernardum*. Quo edicto quamvis Ecclesiæ paci & concordiæ satis consultum videatur, nisi solùm curiosam nimis in rebus fidei disquisitionem prohibeat, & immoderatam coerceat rationis diligentiam, nihil magis iniquum sentio, quàm ut, *Clericorum* præsertim, intellectus, sub coeco sive humilitatis dicam, sive etiam pietatis, obtentu, nescio quò captivus duceretur, & *Rationi* rectæ sanæque compedes injicerentur. Satis tandem supérque habet expertum

tum ſibi Chriſtianus orbis, quot ubique terrarum ſtrages edidit afflata rabies, quot abſorpſit animarum chiliadas *enthuſiaſmi* illa vel ἀβαθὴς, vel ἀκατεροβαθὴς, vorago, ex quo in manus ſumpſit *Apocalypticus grex*, excluſâ *Ratione* & ſub jugo miſſâ, περιήριον fidei, dictaturam conſcientiæ. Non quòd meis auſpiciis vellem introductam hodie *Pyrrhonicam theologiam*, ut qui jamdiu novi, τὰς μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις, *ſtultas* nempe & *ineruditas quæſtiones* ex Apoſtoli monitu eſſe reſpuendas, γεννῶσι μάχας, *pugnas pariunt*, qui- 2 Tim. 2. 23.

bus flammis nisi ego frigidam mallem, quàm oleum, suffundere, immittar aliis. Μένωμεν ἔνθα κελεύει, ἐπὶ τῆς πίστεως, ἐπὶ τοῦ λιμένος τοῦ ἀσφαλοῦς. ... *Maneamus ubi jubet*, quis nisi idem Paulus? *in fide* sc. *in securo portu*, αὐτοῦ μᾶλλον ἀκούσωμεν, *ipsum magis audiamus, quàm gubernatricem in nobis Rationem*, sic loqui liceat cum *S. Chrysostomo*. At cùm etiam audiam B. Apostolum 1 ad Cor. 4. πνεῦμα τῆς πίστεως, *spiritum* quendam *fidei* proferentem, & *D. Johannem, Epistolæ* 1. 4. 1. monentem sic.

ἢ τοῦ κυβερνήτου τὸν ἐν ἡμῖν, τοῦτ' ἔστι τοῦ λογισμοῦ. *In Act. Apost. Hom* 5.

Δοκιμάζετε τὰ πνεύματα,

3. *probate*

probate ſpiritus, an ex Deo ſint, quodcunque tenendum eſt de *fide* jam plenè *infuſâ*, & ſubſequente divino lumine illuſtratâ, de *infundendâ* tamen, niſi adhibito prius *Rationis* ſcrutinio, non temerè eam admittendam ſentio. Εἰ χρυσῆν ἔχων ἔυγχανον τὴν ψυχὴν, &c. Inquit *Socrates* apud *Platonem*. *Si auream, mi Gallicles, animam haberem, nonne putas me libenter comperturum aliquē ex iis lapidibus, quibus aurum exploratur, optimum quidem illum, ad quem meam animam adhiberem?* Quod Ethnicus de *aureâ* ſuâ animâ, de *fideli* dixerit *In Gorgia.*

rit idem feceritque Christianus, ἵνα τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, *quò exploratio fidei*, quæ auro multò pretiosior est, *reperiatur in laudem & gloriam, & honorem, tum quum revelabitur Jesus Christus. Multùm enim falluntur*, inquit S. Augustinus, *qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum.*

4. Sed agamus strictiùs, & voces, olim satis jactatas, figamus sedibus in medio positis, à controversiarum turbâ, & tumultuario omni opere, semotis.

Per *res fidei* (ut nostis) in-

intelligo omnia ſub materiali objecto fidei comprehenſa, *quod materiale obiectū non eſt tantùm Deus ipſe, ſed & multa alia, quæ tamen ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum*, ſic *Aquinas*, vel, ut breviùs dicam, *Quodlibet ens revelabile revelatione, obſcurâ*. Sic *Suarez*. 22.q.1.a.1 Tract.de Fid diſp. 2.ſect.2.

Per *immobilem aſſenſum*, plenæ agnitioni conjunctam intellectus adhærentiam, eamque ἄσειστον καὶ ἀπερίσπαστον, mallem *deditionem* dicere, vel, cum *S. Paulo*, *captivitatē* intellectus objecto ut infallibiliter vero, nullis Ratio-

num copiis liberandi, intellectus, at extensi, at promoti, at imperio voluntatis subjugati.

5. His substratis, quatuor columnis innitetur nostra futura explicatio.

Quarum prima sit hæc, *Quæcunque credimus, ex revelatione divinâ credimus.*

Secunda hæc, *Quæcunque ex revelatione divinâ credimus, liberè credimus.*

Tertia, *Quæ liberè credimus, non sine ductu & moderamine Rationis credimus.*

Quarta & ultima, *Quibus fidei, exclusâ ratione, immo-*

immobiliter assentiunt, leviter credunt.

De Prima. 6.

Quacunque credimus, ex revelatione divina credimus.

In quas dividias abiere 7.
semper, ex quo tetigit πρωτόπλας & fœmina mysticum illud scientiæ arbori decerptum καρπῶλον. *Ratio* humana & divina *Revelatio*, quàm quodam quasi vicario jure hospitium animæ aut integrum sibi habuerunt singulæ, aut conjunctæ aliàs in duo idem divisum domicilia; testantur satis cùm inter *Ethnicos* Philosophi, tum etiam inter *Christianos* nati

nati, post prædicatum Evangelium, hæretici, sic *Paulus Apostolus*, Actor. 17. de resurrectione differens, ab *Epicuræis* quibusdam & *Stoïcis*, rationi suæ nihil minùs congruum sentientibus, σπερμολόγος dicitur, & ξένων δαιμονίων καταγγελεύς. Ita nihil credendum cogitârunt, quod non humanâ ratione intelligi potuit & persuaderi. Sic *Plato* ipse dixisse fertur, dum Geneſin legeret (nam legisse dicitur) *Bene loquitur rusticus, si probasset.* Inter Christianos autem exorti sunt, præter *Arthemonitas* hæreticos, de quibus, *Euseb. li. 5. Hist. Eccl.*

Eccl. (qui, rationibus & demonſtrationibus adhibitis, abſque ullâ authoritate divinâ, Evangelicæ doctrinæ veritatem contendebant oſtendere) etiam *Manichæi*, ſuperſtitioſum eſſe aſſerentes, Fidem ante Rationem imperare; Quo errore *Auguſtinus* ipſe per novem annos detentus fuit, ut de ſe fatetur lib. *De utilitate credendi.* Qui omnes objectum formale fidei non in revelatione divinâ, ſed in humanâ ratione ſtatuebant; cujuſmodi erat *dogma* illud *Petri Abailardi*, de quo queritur *D. Bernardus in Epiſtolis.* *Paratus* *Ep.* 188. 189. &c.

eſt,

eſt, inquit, *de omnibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra rationem; & contra rationem præſumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm rationem ratione conari tranſcendere? & quid magis contra fidem, quàm credere nolle quicquid non poſſit ratione attingere?* Aſſurgat velim *Abailardus* redivivus; ſe in medio ſiſtant, ſiquæ ſuperant, *Manichæorum* reliquiæ; cudant rationum catenas, quibus ſacra *Trinitatis* ſimul ac *Incarnationis* myſteria poterint alligari; muniant ſe, quàm velint poſſintve, fortiſſimè; habet

Paulus,

aulus, habent omnes Christiani, militiæ arma, πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, *ad demolitionem munitionum*, 2 ad Cor. 10. λογισμὸς καθαιροῦντες, non *consilia* (ut malè transfert Erasmus) sed *rationes*, sed *ratiocinationes*, *demolientes*, αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα, *captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*. *Quæ autem esset captivitas intellectus, si illa tantùm crederet, quæ per rationem vera esse cognosceret?* ut pulchrè *Suarez*

Tract. de fid. disp. 3. sect. 1.

8. Cùm autem nonnulla sint, quæ quantumvis lumine naturali satis innotescant, & *ratione* humanâ possint

possint demonstrari, nihilominus ultrà *fide* credenda proponantur, non immeritò quæri debeat, An fides illa antecedenti rationi innitatur, an supervenienti potius revelationi divinæ? sunt autem hæc. *Deus est, vel est Creator. Deus est remunerator.*

Estius lib. 2. in sentent. Dist. 2. Sect. 11. inquit, Nihil obstat quò minùs aliquid credendum proponatur, quod demonstrari potest: 1. Quia dubitari potest an sit demonstrabile. 2. Quia paucorum est scientia demonstrativa. 3. Quia etiam illi ipsi qui demonstrationem

ilo- *rationem alicujus articuli*
nda *ceperunt, certiùs eundem*
me- *nent ex fide, ut contingit*
An *indo philoſophus fit Chri-*
ra- *ianus*; Omiſſis duobus,
per- uorum prius extra oleas
tio- ideatur & minus appo-
tem ité reſponſum, tertium
eſt xplicat, *lib.* 3. *diſt.* 25.
ne- bi inquit, *Certior eſt*
notitia fidei, quàm demon-
nt. *ſtrationis, quòd niſi hanc*
it, *notitiam ſupra priorem ad-*
li- *iciat, non cognoſcet illos*
ur, *articulos ut Chriſtianus, ſed*
ſt: *tantùm ut rationem ſequens.*
an Præſtitiſſet *Eſtio*, meo judi-
ia cio, ſi priora potiùs verba
le- reduxiſſet, quippe his
ia longe potiora; cum enim
n- ait, *Certior eſt notitia fidei*
m *quàm*

9.

quàm demonſtrationis, peccat contra omnes Theologos, ponens pluſquam demonſtrativam in objecto fidei evidentiam. Dicerent illi aut eorum nonnulli, *Certior eſt fidei adhærentia, quàm demonſtrationis, non* notitia. Ac nec illud patior, niſi de facto loquantur ſolùm, non de debito, hoc eſt, niſi profitentur tantùm in ſeipſis ſe idem experiri, at non ab aliis, à quibus fides, itidem poſtulari: quippe nunquam pateretur Deus à Chriſtiano talem fidem exigi, futuram animæ ſuæ equuleum, carnificinam con-

conſcientiæ. Stupeo planè quoties lego quæ ſcripſit *Dominic. Soto lib.* 10.
2. de Nat. & Grat. Exigitur à Chriſtiano non ſolùm aliqua, ſed omnia quæ in utroque ſunt teſtamento (ſaltem in genere) *& quæcunque Eccleſia explicaverit, eſſe de fide, adeò firmiter & certò credere, ut ſcientiam, ſi opus fuerit, quam philoſophi putarent demonſtrativam, abneget.* Ut enim miſſa faciam fidei dogmata (quo jure an conſtet neſcio) ab Eccleſiâ ſuâ ſcripturis appenſa, de *Scripturis* ipſis fratrem interrogo, *ut nôſti illas eſſe* θεοπνεύς-ους? Reſponderit

ſponderit mihi, *Hoc dictat Eccleſia. Ut nôſti omnia dictante Eccleſiâ eſſe infallibiliter vera? Dictant Scripturæ.* Encirculo cingitur, unde lineæ ductæ in infinitum procurrunt, niſi Rationis tandem ſiſtentis ſe, & Eccleſiam in terris perpetuam dictatricem agnoſcentis, concurrant centro, & quaſi ex compoſito terminentur. Sed ad *Indos* naviget hic noſter *Soto*, adeat Philoſophum, interroget hunc, *An credat Deum eſſe, vel non?* reſpondebit, *Credo*; pergat Frater, *Quibus de cauſis?* Dicet fortè, *certâ ſe & infallibili demon-*

demonſtratione comperiſſe. Tam pulchrè præparatam animam lucretur *Soto* ad ſuam Eccleſiam, Scripturas proferat, aperiat, legat. *Ad Tim. 2. cap. 4. v. 13.* ſic ſcribitur, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, quum venies, apporta, & libros, maximè autem membranas.* Concionetur tandem, enumeret Patres, Eccleſias, Synodos, Concilia; Adducat huc Sanctorum miracula, Martyrum ſupplicia, veritati huic unanimiter atteſtantia; Jubeat philoſophum ſe ſuamque *rationem* omnem, *demonſtrativam* licèt, abdicare

dicare potiùs, quàm ve
ritati adeò confirmat
refragari. Jam dicat seriò
speratne unquam se esse
cturum, ut Philosophu
hic (pius fortè, &, suo
more, in Deum devo
tus) eundem *Deum*, quem
nondum *revelatione divi-
nâ*, at *demonstrativâ* tan-
tum *ratione*, cognovit, *esse*
neget potiùs, quàm *Pau-
lum penulam suam Troade
reliquisse?* Credat Judæus
apella. At *si opus fuerit*,
dixerat Soto, hîc nihil
tale, non incompossibilia
sunt hæc, *Deum esse*, &,
*Paulum Troade penulam
reliquisse*. At *inæqualia*
tamen videbuntur hæc,
&

& *imparia* prorsùs ratiocinanti philosopho, quæ eandem vel gradu, vel numero, fidem exigerent, nec à suo Ἄσοπον abstinebit, modò hoc, divini quoniam Amanuensis authoritate subnixum, illius, quippe unius naturæ, certo quamvis, fulti dictamine, secessum imperet, ut pro dignitate animam possideat solitariam. Sed è *Dominici* sectâ fortè aliquis, subtilior discipulus & oculatior, Magistrum vindicet, nec quæ cautiùs ille, *saltem in genere*, credenda pronunciavit, hic sinet nos ad *particularia*, præsertim talia, demittere.

Quem

Quem, quicunque fueri
curioſiùs oportet, fideliú
que advertat voces, ea
rumque, ſi poterit, aptiù
ſenſum explicet, *non ſo*
lùm aliqua, ſed omnia
Apponat hîc terminalem
lapidem, & remetiatu
ſuæ fundum Theologiæ
non ſolùm aliqua, ſaltem
in genere, ſed omnia. Ac
hæc opus Oedipo con-
jectore. Vertat ſolum
neceſſe eſt, non hîc diu
ſano, mentiſque compo-
ti, commorandum; haud
cavillatur facetus accum-
bit nobis, haud conviva
commodus, qui nec præ-
manſum cibum & in par-
ticulas tritum, niſi fluente
buccâ,

buccâ, novit edere, nec integras modestè offas deglutire. Siquid ego intelligo, aut rectè auguror, dissimulare voluit, at non potuit, *Dominicus*, quod sibi placuit, cùm idem aliis videat displicere. Quòd si pleno pectore sapuisset *Soto*, mutâsset sententiam, aut, si ingenuâ uti libertate maluisset, dixisset planiùs, nec in tricas adeò conjecisset verba, mentémque compede distinctionis coarctâsset. Sed adhuc pressiùs, ne de lanâ caprinâ certari diceretur. Deponatur Scriptura, omnibus suprà positis

indiciis ſufficienter manifeſta; accedat *Ratio*, demonſtret Patres omnes mendaces, Eccleſias deceptas, Concilia non legitimè convocata, ſanctorum miracula meras impoſturas, martyrum ſupplicia pertinacium animorum monumenta, figmenta eſſe probet omnia, & pias fraudes, quod quidem nunquam futurum ſentio, at ex conceſſo *Fratris Dominici*, ſaltem, ut poſſibile, ſupponendum; ſuadeatur philoſopho, quod nunquam perſuadebitur, ut Rationes jaceant, ſileat judicium, voluntas coeca obtemperet va-

vacillantis sc. Fidei imperio, aut manus dante naturali Scientiâ, utut certâ, aut fruſtrà reluctante. Sed labor longiùs, ad propoſitum revertar.

Bonaventura in 3. Sentent. Diſt. 23. q. 4. ait. Si aliquis philoſophorum cognoſcit articulorum aliquem ratiocinando, nunquam ita certitudinaliter cognoſcit per ſuam ſcientiam, ſicut verus fidelis per ſuam fidem. At *certitudinem* ſuam duplicem facit, *ſpeculationis* nempe & *adhæſionis*, de quarum poſteriori ſunt intelligenda, quæ dixerat. Ulteriùs adhuc ego diſtinguendum 11.

ſentio de *certitudine* illâ *adhæſionis*; vel enim *intellectûs* eſſe poſſit, vel *voluntatis*, quantumvis illam voluntatis nollem *certitudinem* dictam, quippe non eſt cognoſcitiva facultas, ad quam ſolam propriè pertinere certitudo videatur, at *firmitatem* potiùs, at *fiduciam*, ſi nolitis *recumbentiam*. His præmiſſis, ad quæſtionẽ propoſitam ſic reſpondeo. Cùm philoſophus factus ſit Chriſtianus, qui *ſcivit* anteà Deum eſſe, jã *credit*, cujus fides innixa eſt non antecedenti *ratioci*, ſed ſupervenienti *revelationi* divinæ, quæ *revelatio* divina

divina non parit aliquam majorem *certitudinem*, ſive *ſpeculationis* dicerem, ſive *adhæſionis* intellectûs, at majorem parit *fiduciam*, ſive *recumbentiam* voluntatis; & quamvis non ponit certitudinem, tollit dubium, ſaltem actuale, ex quâ *fiduciâ* audacter dicit, *Domine, ſi error eſt in fide meâ, à te ſum deceptus*, ut *Pelbartus* habet in ſuo *Roſario*. Et miror, 12.
ſi non hoc ſit quod *Altiſſiodorenſis* velit in *ſumma aurea, lib. 3. Tract. 3.* Ubi, poſtquam *cognitionem* Dei in *naturalem* & *accidentalem* diviſiſſet, *naturalem* iterum in *perfectam*

Adami integri, *imperfectam* lapsi; postquam *accidentalem* alteram triplicem statuisset, primam *per naturales rationes* acquisitam, secundam *per Scripturarum* vel *miraculorum testimonia*, quam *fidem informem* vocat, tertiam autem *per illuminationem fidei infusam*, quam vocat *gratuitam*; *Talis*, inquit, *cognitio dicit in corde hominis. Jam non propter rationem naturalem credo, sed propter illud quod video, quoniam tali cognitione adveniente assentit anima primæ veritati propter se & super omnia; & tali cognitione pereunt*

omnes

omnes aliæ cognitiones accidentales, & quantum ad actum, & quantum ad habitum. Possim huic litem intendere de terminis, *cognitione* & *assensu animæ*, sed nolo in scirpo nodum.

Hæc de primâ. Sequitur secunda. 13.

Quæcunque ex revelatione divinâ credimus, liberè credimus.

Et hoc colligo ex *obscuritate*, sive *inevidentiâ*, conditione objecto fidei necessariâ. Licèt enim *S. Hieronymus, Revelare*, ait, *nihil aliud esse quàm velum removere*; quod ad fidem spectat, vel neganda est fidei *revelatio*, quam tamen 14.

præcedente concluſione dedimus; vel revelationi iſtiuſmodi plena *veli remotio*, quod in hac potiùs eligimus. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, 1 ad Cor. 13. Ubi nec immediatio ſpecierum viſibilium conceditur, nec objecti clara illuſtratio. *Fides eſt argumentum non apparentium*, *ad Heb.* 11. de apparentibus enim fruſtrà argumentum conficitur, ubi quod probatur, etiã ante præmiſſas, agnoſcitur, *nec poſſunt eſſe ſimul viſa & credita, niſi in generali*, ſc. *ſub communi ratione credibilium*, ut loquitur *Aquinas*, cùm & hoc

22. q. 1. ad 2.

hoc ſit, non videre credita, ſed credenda tantùm cogitare. Cùm ergo Sancti Patres (ut ſemel moneam) de excellenti lumine fidei loquantur, nuſquam intelligendi ſunt de *evidentiâ objecti*, ſed de *remotione actualis dubii*. Audiamus *Chryſoſtomum in verba Apoſteli, 1 ad Cor. 4. Habentes eundem ſpiritum fidei, &c.* Καθάπερ τὰ ὑπότρομα μέλη καὶ τῷ γήρᾳ παρειμένα βακτηρίᾳ μετὰ ἀσφαλείας χειραγωγοῦσα οὐκ ἀφίησιν ὀλισθῆναι καὶ καταπεσεῖν, &c. *Sicut membra tremula & ſenectute languida, baculo tuto deducente, labi & cadere non permit-*

tuntur: sic etiam animam nostram, incertis ratiocinationibus circumactam, ac jactatam, fides quovis baculo tutiùs sustentans, suâque vi reficiens, summopere firmat, nec sinit subverti, infirmas cogitationes corrigens præstantiâ suæ virtutis, caliginem illam dispellens, animúmque, velut in domicilio tenebroso, inter tumultuantes cogitationes sedentem, suo lumine illustrans. Quàm incongrua sunt hæc, *tumultus* & *tenebræ*, *baculum* & *lux*, nisi modo prædicto explicata?

16. Accedat ratio hujus veritatis, quam reddit *Suarez*

Disp. 3. s. 7

Suarez Tract. de Fid. Quia de ratione formali objecti fidei est authoritas dicentis; sed testimonium, ut testimonium, non ostendit rem testificatam in se; quippe quando res sic ostenditur, non creditur ex authoritate dicentis, sed quia ipsa movet sensum vel intellectum: ergo de ratione objecti fidei est, ut non fit visum per ipsum medium, seu motivum credendi; ergo obscuritas, quæ opponitur huic evidentiæ, est de ratione formali objecti fidei. Quòd autem ex *inevidentiâ* objecti necessariò sequitur *libertas* credendi, intelligo *deditionem* vel

vel *captivationem* intellectûs (nam, ut ingenuè fatear, in hac re vocabulum illud *assensus* subterfugio) captivationem dico, exantecedaneâ determinatione voluntatis, *liberè* cedentis (utcunq; enim captivus ducatur Intellectus, manet libera voluntas, affectu sæpius quidem inclinata, coacta nunquam ad cœcam sui traditionem) hæc inquam libertas probatur sic. Cùm definitur *evidentia* (an satis commodè nescio) *determinatio ad assensum*, quia tam clarè proponitur objectum, ut excludi, ut negari non possit; *inevidentia*

Hurtad. Logic. disp. 11. s. 3.

dentia necessariò denotat *indeterminationem quandam ad assensum*, quia tam obscurè proponitur objectum, ut rejici possit, vel liberè eligi, quippe haud fit, nisi antecedente clarâ cognitione intellectûs, si tum, necessitatio (etiam *consequentis*) voluntatis. Quando enim obscuritas objecti ponit possibilitatem oppositi, ita ut vel tale, quale dubiè apparet, vel nihil minus quàm tale esse possit; Voluntas vel ex timore refugit, vel ex spe, aut bono affectu, se in discrimen mittit, &, de eventu secura, Intellectum curiosè

rioſè quippiam diſquirentem cohibet. Utrumlibet enim liberè poteſt, &, non mutatâ conditione objecti, utrunque ſucceſſivé. Probatur adhuc à poſteriori. Quia nulla ratio aſſignari queat, cur non-credenti debeatur pœna, aut (ne omnia loquamur barbarè) is debeat potiùs, cui credendi libertas denegatur.

17. Sed, præter rationem, patrocinatur huic veritati authoritas ſacra. *Ad Rom.* 10. *Corde creditur ad juſtitiam*, i.e. *voluntate*. Sic inter multos *Aquinas*. Hanc ſuſcipiunt Patres. *Chryſoſtomus in verba Apoſtoli*,

ſtoli, 2 ad Cor 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei,* τὸν αὐτὸν πνεῦμα πίστεως αὐτὴν καλεῖ; *Quamobrem ſpiritum fidei vocat eam?* ἐκεῖνο δηλῶσαι βουλόμενος, ὅτι, τὸ μὲν παρὰ τὴν ἀρχὴν πιστεῦσαι, τῆς ἡμετέρας εὐγνωμοσύνης ἐστὶ, &c. *Illud nimirum oſtendere volens, quod initio credere, & parere vocanti, noſtræ eſt bonæ mentis. At poſtquam jacta fuerint fidei fundamenta, jam opus eſt auxilio ſpiritûs, ut in nobis perpetuò maneat inconcuſſa, & inſubvertibilis,* οὔτε γὰρ ὁ θεὸς, οὔτε ἡ τοῦ πνεύματος χάρις, τὴν ἡμετέραν προφθάνει προαίρεσιν. *Neq; enim Deus, neque ſpiritus*

gratia

gratia noſtrum prævenit propoſitum: ſed tametſi vocet, expectat tamen, ut ſponte, & propriâ voluntate accedamus, ac tum demum nobis ſuum exhibeat auxiliũ.

D. Auguſtinus. Ad Eccleſiam poteſt nolens accedere, ad altare poteſt nolens, credere non poteſt niſi volens. Et hæc de ſecundâ dicta ſunto, in re admodum obſcurâ haud perſpicuè ſatis, in turbulentâ ſedatè fortéan, at parum defæcatè.

18. Exerceamur tamen adhuc in tertiâ, quæ ſic ſe habet.

Quæ liberè credimus, non ſine ductu Rationis credimus.

Ἡ γὰρ προάιρεσις ὄρεξις βε-

βουλευτικὴ. Christianum æquè effatum ac Ethnicum, *appetitus quidam est consultivus electio.* Fortunæ assident ἀπροβούλητοι, non fidei, adeóque stricto nexu se mutuò complectuntur fratres uterini, ut dubitavit Philosophus, utrùm *electio* sit *appetitus intellectivus*, an *intellectus appetitivus*; tantum abest, ut *liberum arbitrium* sit *potentia remota*, ut ne *media* quidem est *inter intellectum & voluntatem*, quod rectè statuit, *Penottus in suo humanæ libertatis propugnaculo.* Per *Rationis ductum* ergò intelligatis *consilium*, quod in cre-

Lib. 6. Ethic. c. 2. Gebet. Jab.

credendis æquè ac agendis capitur, pérque eadem decurrit ſtadia, quæ quinque numero ſignat *Mocenicus* (haud meâ intereſt quam accuratè) *attentionem, prænotionem, perpenſionem, dijudicationem, electionem*; non enim obtorto collo abripitur anima, & ad fidei tanquam argenti quaſdam fodinas detruditur; lacertos movet, oculis circinat, ut libuerit, ſuſpenſo gradu, paſſúque arbitrario procedit; exerit vires exercétque illas quas Græci λόγον nominant & διάνοιαν, *præpoſitione*, ſc. (quod obſervat *ſubtilitatis Magiſter*)

19. *univ. Inſtit. ad hom. perf. contemplat. 5. part. 3. c. 3*

20. *J. Scalig. Ex. 307. ſect. 5.*

ſter) motus tractum ac tranſmiſſionem ipſius νȣ̃ *declarante*, addo, nec ſimplicem eam, ſed reflexam, &, ſi opus fuerit, fæpius repetitum, *diſcurſum* appellat vulgus, ſive varia denotet diverticula, & incerto tramite permenſa ſpatia; ſive eadem remetiendo multoties explorata. Philoſophandum hîc eſt, &, ut ſpeculatoribus è caſtris Theologiæ præmiſſis, proſpicienda ſunt, quæ juvabunt occupata, aut naturalis, ſcientiæ, aut moralis, munimenta. De contiguâ agitur libertatis rationíſque viciniâ, de conjuncto Intellectus Volun-

luntatísque collimitio, inibique colloquio, quibus non ideò se immiscet divinus spiritus, ut aut interrumpat, aut imperet; tantùm, ut suggerat, consulat, juvet, intervenit. Unde *D. Augustin: Fides*, inquit, *Opus Dei est, & nostrum, nostrum sc. propter arbitrium voluntatis, quia, nisi nobis assentientibus & co-operantibus, credere non possumus.* Ubi voluntas arbitra, dictatrix Ratio est, at modesta & coram cœlesti spiritu, sive motore, sive monitore, sive utroque humiliter tremebunda (nam non pro *coordinatione operum* conten-

tendimus, cùm de *co-operantibus* Patrum dicta enarramus) Unde *Clemens Strator*, fidem vocat λόγου ὑπακοὴν, non ita ipsius *Rationis* mutæ *subjectionem*, ac *subauscultationem voluntatis* eidem dirigenti. Qui enim *Christianorum vitam* σύγκριμά τι λογικῶν πράξεων constituit, *actionum* nempe *Rationalium collectionem*, idem etiam eorum *fidem* λογικῶν λέξεων, *intellectualium dictionum, sive ratiocinationum* esse *comprehensionem* innuit, nam quid aliud sonat, ὑπὸ τοῦ λόγου διδασκομένων ἀδιάπτωτος ἐνέργεια, quàm *eorum quæ ratio docet constans*

21. *Pædagog. lib. 1. cap. 13. Vid. ad Rom. 5.* εἰς ὑπακοὴν πίστεως.

ſtans & immobilis operatio, τὴν πίστιν κεκλήκαμεν. ſic fidem ille ad ſenſum veterum, & ſeculi ſui captum definivit. Non moramur hîc hodiernos Catholicæ ἀυθεντείας ἱεροδιδάλους, myſticóſque Eccleſiaſticæ authoritatis ædituos, quibus nec imus contrà, nec dicimus, imò æquis paſſibus libenter uſque ad metas proſequimur, tantùm non antiquum pa-
22. trem *Auguſtinum*, malè morati à tergo relinquimus, nec, uti is pedem figere non potuit, ſecurè ambulamus. *Ego*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſia*

Lib. contr. Manich. c. 5.

com-

commoveret authoritas. Alibi. *Creduntur quæ abſunt ſenſibus noſtris* (eadem eſt ratio eorum quæ abſunt intellectui) *ſi videtur idoneum teſtimonium quod iis perhibetur.* Arrigite aures, Amici, obſecro, & perpurgatis attendite, de *idoneitate teſtimonii* diſceptatur, concluditur, priuſquam *fidei obſequium* exhibetur. Quo ergo modo *commovet Eccleſiæ authoritas?* adhibito nempe *Rationis conſortio*, quæ ipſa *præmovet*, flectítque animum ad Eccleſiæ conſenſum, maximum in terris, etiam *ſacri codicis*, patrocinium, præſidiumque divinæ

divinæ veritatis : nec tentandum nobis, nisi hac positâ scalâ, cœlos ascendere, præsertim carnis onere gravatis, cùm nec ipsi
Gen. 28. Angeli, superni alites, *Jacobo* somniante, & sacra noctis mysteria intuente, ausi fuerint, nisi κλιμακιδὸν, aut nostras petere, aut ad suas sedes, in præsentia summi numinis sitas, remeare. De universis hæc, de uno fidei articulo, D. *Joannem* au-
1 Ep. 5. 10. dite, perpendite. *Qui credit in filium Dei habet testimonium*, addit *intrinsecum*, animum nempe miraculorum à Christo editorum conscium, & con-

sensu

ſenſu tradentium ratio-
nabiliter confirmatum.
Aut hîc, aut nullibi, curſu
ſiſtitur *Tertulliani* triga *De Præ-*
rogando importuna, *Ubi ſcrip.*
nit finis quærendi? Ubi ſta-
tio credendi? Ubi expunctio
inveniendi? Quippe fru-
ſtrà *quæritur*, ubi aliquid
ultra rationis captũ quæ-
rendum relinquitur; Pa-
tum *creditur*, ubi de cre-
dendis nihil in Senatu ani-
mæ rationalis diſceptatur;
nihil *invenitur*, ubi ve-
antur omnia in obſcuro
jacentia, nec indiciis quip-
piam diſtinctivis agnoſci-
tur. Hinc laudi datur
Platoni φιλαλήθει moroſa
fides, & ſubdifficilis aſ- 24.

sensus, qui apud Patrem
Clem. Al. strr. lib. 1. Christianum, ferè omnium, quos terimus, antiquissimum, θεοφορούμενος, *velut à Deo incitatus* dicitur, cùm illud protulit, Ὡς ἐγὼ τοιοῦτος, ὁποῖος οὐδεὶς ἄλλος ἢ τῷ λόγῳ πείθεσθαι, *Ego ejusmodi sum ut nulli alii credam, nisi rationi, quæ mihi considerandi optima visa est.* At non interea temporis, aut hic aut ego, *ideam* statuimus *fidei Platonicam*, nec ad
25. *Academiæ* exemplar *Ecclesiam* componimus; cùm tamen illa non magis habuit *sophistas* subdolos quàm hæc *hæreticos* pertinaces, utrosque ita ver-

falsi

falsis plerunque temperantes, ut difficile esset aut illîc *tenenda* perspicere, nisi ad regulam explorata, aut hîc *credenda*, nisi delata ad judicem. Utrobique se *Ratio* explicat, ut triumphet illîc, & fallaciis dominetur hîc tantùm ut, quamvis liberta, serviat, & se alieno imperio, non cuivis; at quod ipsa eligit, subjiciat.

Sed parùm comiter (Amici) tamdiu vos in porticu detineo, Eamus rectà tandem in adytum, ubi, siquid adhuc recondîti sensûs lateat, & à communi luce, vulgíque

oculis, secluſi, ſacrorum Myſtarum cum veniâ admiſsi, & conſilio inſtructi, liberè eruamus. Summa omnium hæc eſt, quæ
26. quarta theſi concluditur.

Qui rebus fidei, excluſâ Ratione, immobiliter aſſentiunt, leviter credunt.

Hîc illud imprimis monendum duxi (quò, amotâ ſuſpicione omni, cenſuram juſtam initio deprecemur) hanc præcipuè inſtitutam fuiſſe contra hodiernos *Enthuſiaſtas*, qui veram fidem à falſâ per internos *inſtinctus* diſtinguunt, & unumquemque volunt eſſe regulam [vel judicem] ſuæ fidei,

fidei per internam motionem, quam ſentit, *quod eſt ferè omnium errorum ſeminarium*, ut rectè opinatur *Suarez*. Nam ſi ratio credendi reducatur ad internum teſtimonium ſpiritûs, cuivis liceret, quod velit, credere, aut, ſi non crederet, ac ſi credidiſſet, obtendere, & ſimplicium, idiotarúmve, ſpiritus ſuo, ſive erroris, ſive affectati mendacii, ſpiritui ſubjugare. *Calviniſtas* eos vocat *Bellarminus*, *Controv. tom* 4. Nos autem nullius nominis invidiam ambiamus; quicunque ſunt, neſcio certè an non *Mahometanis* ſuum errorem de-

Tract. de fid. d. ſp. 3. ſect. 3.

Lib. 6. c. 1.

beant, qui sine ullis miraculis, aut aliâ congruâ persuasione, doctrinam *Mahometi* absurdissimam recipiant, ad se putantes divinum sancti spiritûs colloquium, jure quodam hæreditario, pertinere.

27. *In Prolegom.* Sed præter hos invenio quendam *Franciscum de Marchia*, apud *Alphonsum de Toleto*, asserentem, *Articulos fidei esse nobis per se notos, vel ex per se notis deductos, in lumine naturali*; quem hujus hæreseos nec authorem primum habendum video, nec professorem solitarium. Canon quintus Arausicani Concilii secundi animadvertit

vertit in eos, ut Apostolicis dogmatibus adversarios, qui ut *augmentum*, ita etiam *initium fidei ipsum credulitatis affectum* dicerent .... *eundem naturaliter inesse* .... omnes eos qui ab Ecclesiâ Christi alieni sunt quodammodo fideles esse definientes.

Adhuc etiam quendam *Henricum*, excluſâ prorsus ratione, dicentem, *Articulos fidei esse verè notos, non quidem in lumine fidei, quod in illo sunt tantùm creditî, sed in quodam lumine medio inter lumen fidei & lumen gloriæ.* 28.

Tertiò nescio quem, 29.

Jacobum de Appanis affirmantem, *Omnes articulos esse quidem evidenter notos, at nec lumine naturali, nec medio, sed lumine ipsius fidei.*

30. At contra hos omnes *D. Petrus Epistolâ* 1. 3. 15. Ἕτοιμοι πρὸς ἀπολογίαν, *Parati ad reddendam apologiam*, vel (quod volunt plurimi) *rationem ejus, quæ in vobis est, fidei, cum modestiâ & timore.* Fateor quidem τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος habere Græcum prototypum, quod, ut *Erasmus* & alii, ita etiam ii, quibus commissa fuit Ecclesiæ nostræ Anglicana versio, sepositio *fidei* vocabulo, *spei* reddiderunt

diderunt: quos ego, impetratâ priùs, ut decet, veniâ à ſanctâ & venerandâ Matre Eccleſiâ, rogatos velim, quare hîc ἐλπίδος, *ſpei*, alibi autē, pro arbitratu ſuo, *fidei*, redderetur; ſic enim me legiſſe memini ad Heb. 10. 23. κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ. *Teneamus profeſsionem* (nam & *confeſsionem* nolunt) fidei *non vacillantem*. Vereri certè me dicerem (niſi ſacrum eſſet, nec profanis manibus violandum) eos, quicunque erant, illîc, ubi μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου, *cum modeſtiâ & timore*, legerant, *fidei* aliquod *dubi-*

um metuisse; hîc autem, ubi ἀμλινῆ *non vacillantem* prospexerant, promisisse sibi *fidei certitudinem*. Laudo potiùs eorum ingenium, qui consultiùs hisce, & cautiùs, ne in alterutro paterentur calumniam, utrunque adduxerunt; sic enim cum Annotationibus *D. Aquinatis* editum reperio, *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est spe & fide.*

31. Quæ ratio, ut tempestivè moneam, non est facultas quædam ex superinfusâ fidei illuminatione oriunda; aut, quod de bonis operibus somniant nonnulli,

nulli, fructus quidam ad *manifestationem*, at nec semen nec succus ad *generationem* fidei (utcunque hîc ad fidelem in λόγῳ populum, non ad fidentem in πράξει, loquitur Apostolus) sed prævia *Ponticis*, *Galatis*, aliisque *Cappadocia Asiaque* advenis, in illis olim primæ persuasionis productiva, nunc ad alios, Christianorum temeritatem improbantes, aut pariter persuadendos citata, aut protinus confundendos. Quippe quæ sequuntur, fortè non ita accipienda sunt, quasi ad novum aliquod officii Christiani caput spe-

ſpectantia, & ſeparatim obſervanda; ſed quæ ad idem monitum Apoſtolicum reſpiciunt, digitóque monſtrant malæ conſcientiæ indiciũ eſſe, *creditorum* nullam *rationem* exhibere, meritóque *malè agentes* dicier ἀλάγως, ἀναπολάγως *credentes*; nec benè cũm Chriſto verſari, qui fidem jactant, cùm ratione claudicant, & ita ſpiritu cœcutiunt. Nam quod de regulâ fidei interpretandâ optimè ab *Innocentio* decretum reperio, idem de modo methodóve credendi non iniquè ſtatuatur, *Nemini licere interpretari aliter divinas Scripturas*,

32.

turas, nisi quod ratio permittit; ne dum quidam remedia sibi iniqua ad excusationem præparant, ex eo rupisse legem, & regulas evertisse judicentur: Ita nemini liceat fidem profiteri, quam nec Ratio probet, nec Rationi probata Authoritas imperet. Deportet ergo *Dominicus Bannes* venum alibi, quàm in Christiano orbe, indulta temerè *Rusticis* privilegia, quos, quasi exortes rationis, cogit inter pecora, & ad brutum prorsùs instinctum detrudit: à quibus nempe, cùm *fidem* postulat, contrà quàm Apostolus indixit, nullam 33.

nullam requirit *fidei apologiam*. Periculosa licentia, & cum multarum animarum dispendio, vereor, publicè projecta.

34. Non expecto linguarum idiomata à bubulco quopiam peritiùs ediscenda; non litigiosarum vocularum minutias ad criticen redigendas; non singula Patrum Antiquorum dogmata judicii quadam lance perpensa: Deum, in operibus mirandum, non indiligenter quæsitum, haud leviter cognitum; Deum, per ora Presbyterorum alloquentem, extra, æquè ac intra Ecclesiam exaudi-

tum;

tum; rubricas, articulos, canones, catechismos, aut quicquid Ecclesia ad publicam praxin, professionémve, dirigendam edidit, curiosè, posco, scrutetur, calleat exquisitè; nec magis excuso commissum aliquid contra leges Ecclesiasticas, quàm politicas; minúsve culpo earum, quàm harum, ignorantiam. Ad sacram siquando paginam accedat, quæ ad historiam enarrandam spectant, aut mores emendandos, securiùs legat; cætera tremulus tractet; quæ dubia ministrant, in rebus arduis præsertim, minetur, ve-

nullam requirit *fidei apologiam*. Periculosa licentia, & cum multarum animarum dispendio, vereor, publicè projecta.

34. Non expecto linguarum idiomata à bubulco quopiam peritiùs ediscenda; non litigiosarum vocularum minutias ad criticen redigendas; non singula Patrum Antiquorum dogmata judicii quadam lance perpensa: Deum, in operibus mirandum, non indiligenter quæsitum, haud leviter cognitum; Deum, per ora Presbyterorum alloquentem, extra, æquè ac intra Ecclesiam exaudi-

tum;

tum, rubricas, articulos, canones, catechismos, aut quicquid Ecclesia ad publicam praxin, professionémve, dirigendam edidit, curiosè, poscò, scrutetur, calleat exquisitè; nec magis excuso commissum aliquid contra leges Ecclesiasticas, quàm politicas; minúsve culpo earum, quàm harum, ignorantiam. Ad sacram siquando paginam accedat, quæ ad historiam enarrandam spectant, aut mores emendandos, securiùs legat, cætera tremulus tractet; quæ dubia ministrant, in rebus arduis præsertim, minetur,

ve-

veneretur potiùs, quàm interpretetur; cùm opus fuerit, Spiritualem, ut vocant, Patrem consulat, qualem quivis animæ præsidem necesse est habeat, ubi haberi poterit; cujus labra si non conservârint divinam scientiam, aut eandem hæresi depravârint, procidendum est ad summorum sacerdotum genua, summa, quantum scio, in vivis idiotarum oracula; per quicquid habent in sacris charum, recondita fidei mysteria impetranda; per quicquid habent in traditoribus Ecclesiasticis cognitum, puriſſimorum temporum historia

ſtoria exhaurienda; coram altari tandem divini numinis præſentiâ ſingulari frequentato, cæleſtiúmque ſpirituum ſolicito conventu, fundantur lachrymæ, ab imo corde jaculentur gemitus, preculæ expirentur; nihil deſit, quod deceat ſupplicem, ſi non exorantem ſtabilimentum fidei, orantem ſaltem tranquillitatem animi; fruatur operæ haud pœnitendæ ſolatio; profeſſionis ſuæ, qualis qualis ſit, utatur apud interrogantem hac non rejicienda apologiâ; *Quæ potui, perquiſivi, ad quorum cognitionem pervenire non potui*

potui, tantorum Patrum aut exemplis invitatus, aut argumentis convictus, credidi. Ignoscat Deus pro viribus conanti; faveat pro modulo discenti, pro captu credenti, firmet inclinantem fiduciam, manu teneat fidem labascentem. Ad opus suum redeat Rusticus, nos pauca, quæ adhuc superant, persequamur, in primis illud sapientis monitum advertentes, *Qui citò credit, levis est corde.* Cui quamvis responsum esset à Sancto *Bernardo* contra prædictum *Petrum Abælardum* hæresin suam hâc præsertim authoritate sustinentem; Quòd *Salomon*

non

non de fide in Deum, ſed de mutuâ inter nos credulitate dixerit; nihilominus cum *Suarezio* exiſtimo, *vera eſſe ſano modo intellecta in fide divinâ. Non enim citò credendum eſt dicenti ſe habere revelationem divinam, ſed oportet expectare prudenter, an fides vel revelatio ſufficienter proponatur.* Nec minùs indicat authoritate Apoſtolicâ ſignata definitio, *Argumentum non apparentium*, quàm fidem ipſam non illud ſolum quod credit, reſpicere, ſed & habere ſecum debere ipſam rationem credendi. Quod ergo Cajetanus & alii

alii, in perfectioribus saltem, dicunt, *judicium evidens elici posse ab ipso lumine de objecto sub ratione credibilis*, nescio quomodo se tueri poterunt à processu infinito; postulo enim & hujus aliquam credibilitatem, & dein illius, hanc hujus confirmantis: Quòd si fortè sistant hîc ratione evidentiæ, tollunt formalitatẽ objecti fidei. Fruſtra huc adducit *Bannes* suum *fortaſsis*, *Fortaſsis* inquit, *tale aliquid contingit in fidelibus, & tamen non experiuntur reflexâ cognitione hujuſmodi efficientiam, ſicut multa in nobis exipſis habitibus exercentur*

In 22. q. 1. a. 4. 37.

quorum

quorum habitus principia esse nesciunt plurimi in quibus sunt. Rogo enim, an ipse sentiat istiusmodi evidentiam à lumine fidei emanantem, qui non sentit lumen infusum? Si non, quid est, cur, quod negatur sibi, aliis largiatur? sed instat *in fideli quodam justificato, nemine prædicante, qui non crederet, nisi certò judicaret evidenter credibile; at istud judicium à lumine tantùm infuso habet, non à testimoniis extrinsecis.* Respondeo, quòd id rarò contingit, cùm autem fiat, Deum ipsum supplere vicem attestantis extrinseci, suggerentem

tem

tem quædam motiva credibilia, humanam fidem non excedentia, idque non intendēdo lumen priùs infusum, sed novum extraordinariè infundendo. Malè ergo respondet Bannes ad argumentum quoddam à se prolatum in 22 C. 1. a. 4. *Non esse necessarium duos actus distinctos convenire, ut quis prudenter credat; ita ut unus sit, videre credibile esse, & alter, credere; sed dum credit esse verum, simul virtualiter judicat evidenter esse credibile*; præterquam enim quòd non sufficit *virtuale judicium*, sed requiritur *actuale*, lumen fidei semper

ſemper operatur cum eadem certitudine, *h.e.* cum eadem tranquillitate pacati animi, non ultrà incertis dubiíſve jactandi. At hoc judicium de credibilitate non eſt tam certum, ac eſt adhærentia fidei immota, ergò non elicitur à lumine fidei. Dico ergo, quod Altiſſiodorenſis, *Licèt fides non innitatur rationibus mundanis, tamen quia Deus non videtur modò per ſpeciem, ideò indiget fides mundo tanquam ſpeculo; nec tantùm mundo eget ad probandum Deum eſſe, ſed ad credenda cætera mundana, ſive humanâ ratione. Non* 38. L. 3. Tract. 3.

enim

enim crederet quisquam, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi ut *Aquinas.*

22.q.1. a.4.ad 2.

Dico secundo (at præfiscine) quod *Dominus Soto*, sanior factus, in apolog. contra Catharinum, de certitud. Grat. *Sentio præter specialem illam revelationem*, quæ ex privilegio (addo *verisimiliter*) *sacratissimæ Virgini, nonnullisque aliis sanctissimis facta est, nullus assensus, etiamsi communi testimonio Spiritûs Sancti sit ingenitus, illum pertingit gradum, ut omnem prorsus dubietatem adimat & ideò*

36.

aio non mereri nomen fidei, nisi more humano &c. quemadmodum homines civiliter loquuntur de fide & de securitate: non quòd aut fallacem *Spiritum* ſuppono, quem *ſanctum* eminenter, & ſingulari privilegio incommunicabilis attributi denomino; aut anxietate perpetuâ diſtortam animam exiſtimo, quam plerunque non ſine dubietate aliquâ credentem ſtatuo.

Dico tertiò, cum eodem *Soto. Licèt eò poſsit quis per gratiam Dei promoveri ſanctimoniâ, & rebus Chriſtianè geſtis, ut habeat pacatum animum; illa*

tamen nunquam est nisi moralis certitudo: quæ tamen ita sedat animum, ut illa intensissima opinio, quam nos homines vocamus fidem. Qui volunt, litigent de vocibus ex usu, si non abusu potiùs, admodum ambiguis, nec sensum capiant, quem possunt, *sanum*, cùm nolunt, qui *insanum* cupiunt. In singulis non hæsi, ne singula in luto posita vestigia cogitetis, æquitatem vestram, Amici, indolémque non minùs alibi sperantes, quàm postulantes hîc, ubi non nisi *moralem* fidei *certitudinem* asserimus, divinæ gratiæ

haud

haud detrahentes excellentiæ, aut, cùm vires ſuas non continet (quod, quantum ſcimus, ut plurimùm ſolet) aut eouſque ſaltem non extendit, efficaciam, etiam ad indubiam evidentiam, pernegantes. 40.

Hoc unum reſtat, ut quam ergo certitudinem fidei tribuamus, planiùs fateamur: eam nempe quam *adhæſionis certitudinem*, ſive, ad monitum Durandi, *firmitatem* diximus, quæ nihil aliud eſt, quàm pia in voluntate affectio, certiorem faciens concluſionem Theologicam, quàm aut naturale, aut rationale, principium 41. *Lib. 3. diſt. 23. q. 7*

ex quo deducitur, posterius illud semper requirens, & intellectum ultra illius evidentiam, ex imperio suo, sibi subjiciens; quam affectionem augeri posse, & auctam esse sæpè, existimo, vel ex pleniore revelatione divinâ intellectum feriente; vel ex auctiori gratiâ intendente, affectum pulsante, promovente voluntatem; utrâque antecedenti fidei indultâ propter conjuncta sui operúmque bonorum *merita* (non enim defugio vocabulum à Patribus usitatum, quo sensu curiosiùs exquirant, quibus scrupulũ injicit) nam sic ferè Latinus

tinus Chryſoſtomus: *ſicut oleum lumen lampadis fovet: ſic bona opera fidei confidentiam ſubminiſtrant.* Hom. 52. in D. Mat.

Hæc ſunt (chariſſimi mei) quæ liberiùs ſcripta nonnullis videantur, & pro *heterodoxiis* ſaltem (ſi non, apud incautos, pro *hæreſibus*) cenſenda; quæ tamen ſingula ferè, ut videtis, ſuos patronos habent, aut inter Patres, aut melioris certè notæ ſcholaſticos, quicquid alii ſentiunt, in fundamento non temerè reſpuendos: me nihil aliud feciſſe jacto, quam ῥάπια quædam variegata conſuiſſe, & in

epiſtolarem quendam centonem conformaſſe : nec enim; ſicubi aliquid benè dictum invenio, contemnendum ſentio; quòd inter ſequiùs dicta, aut minùs cohærentia, collocatum; quicquid ſit, cum curâ eximo, in mearum perſuaſionum familiam adopto, & inter congeneres aſſertiones compono. 42. Intereà tamen alienam fidem non ex meâ metiar ſententiâ, nec in pinnaculis cœleſtium ſpeculationum conſiſtentes ad *Rationis vallem*; & humanarum cogitationum planitiem, dejicio; fruantur pignore futuri præmii, quibus

quibus ſic Deo placuit ſatisfdare, & excellenti gaudeant arrhabone, qui matutinâ poterant obſervantiâ demereri: at nos humi repentes tamen, & terreſtria captantes, caveant ne ſuperbiæ pede conculcent, quos honeſtius eſſet (& tutius fortè) demiſſâ manu auxiliatrice, ſublevare. Quod ad vos ſpectat, *A. A.* lectiſſimi, nec me cœcum ducem ſequi jubeo, nec conſultori dubio auſcultare: ſiqua ſunt, quæ lecta, obſervata, explorata, veſtrum obtinebunt calculum, pro veſtris habeantur; cætera, quæ mi-

nùs probata fuerint vobis, aliíſve, abſque omni partium ſtudio judicantibus, in me rejicite, quæ niſi, convocatis plurium argumentorum copiis, extra controverſiæ aleam
43. ſtatuero, authorem ſpectate ad Eccleſiæ Catholicæ pedes provolutum, quæ aut præter animi intentionem erranti condonabit, aut reum, meritò, at leniter tamen, ſperatur, caſtigabit. Valete, & quæ ſuperſunt de *Gratiâ ſalutari* diſſerenda, prout hæc arriſerint, brevi expectate.

R. W.

Epistola Secunda,

DE

Gratiâ Salutari Resistibli.

Quæ ad sensum

Ecclesiæ Catholicæ

asseritur.

Summarium.

1. *Periculum* Doctrinæ Janſeniticæ, *præſertim reformatæ apud* Calviniſtas.

2. *Cujus Catechiſtes acerrimus* Mareſius *inter* Batavos.

3. *Diſſicilis quæſtio, quæ Gratiæ & Libero Arbitrio contermina; Ad* Novatorum *tamen impetum reprimendum neceſſariò diſſerenda.*

4. Auguſtini *nomine abutitur* Iprenſis Janſenius; *Portentoſa cujus dogmata in faſciculum collecta, & ab* Ægidio Thybault *refutata.*

5. *Subducta nonnullorũ ſũmulæ, & cenſurâ notatæ, ſc.* De Divinis præ-

præceptis; Ignorantiâ invincibili; De originali justitiâ Angelorum & hominum, & ad supernaturalem beatitudinem ordinatione necessariâ (*fundus hic* Jansenianæ *Theologiæ*) *De* originalis peccati traductione physicâ; *De* Christi intercessione; *De* gratiâ *denique* efficaci, & irresistibili, *per Epistolam oppugnandâ.*

6. *De primitivâ hominis conditione* Antithesis *formata.*

7. *Alia de Originali labe, ex* ordinatione *potiùs quàm* necessitate, *transmissâ.*

8. *Favet articulus* Anglicanus *possibili resistentiæ, thesi tertiæ conficiendæ accommodus.*

9. *Gratia quid: Quintuplex gratia* Jansenizantium Calvinistarum *admittitur.*

10. *Salutaris gratia quid, &c.* 11. Dor-

11. Dordracena *sententia saniori* Remonstrantium *adversa.*

12. *Statur à parte* Remonstrantium, & Hierosolymitana *rejectio Gratiæ, Mat.* 23. *disputatur.*

13. Contra-Remonstrantium *responsa diluuntur*; Origenis *assensus*, & Irenæi, *procuratur*; Dordracena *distinctio, de voluntate* signi & beneplaciti, *confunditur*; Twissus *ab* Arminio *refellitur*; *Impotentia civium absoluta frustrà supponitur*; *Secundo* Adamo *detrahitur, dum primo virium reparatio denegatur.*

14. *Adjecta quædam* Remonstrantium *sententia de viribus* Adami *cùm acceptis, tum amissis.*

15. *Reatus emergens ex pœnâ præmissi peccati non ha-*

habetur culpabilis.

16. *D.* Irenæus *libertatem animæ congenitam vindicat.*

17. Sphinx, *an* Oedipus, *sit* Janſenius, *neſcitur*; *Certè* χρησμῳδὸς ἀινιγμένῳ, *videtur quòd loquitur*; *cujus oraculum explicatur.*

18. *Alio adhuc ſacri Canonis teſtimonio theſis munitur*, Act. 7. 51. *quod tamen* Chryſoſtomus *aliter interpretatur.*

19. Calviniſtarum *diſtinctioni, de gratiâ* internâ *&* externâ, *occurritur.*

20. Twiſſi *incuria*, *ſi non in Sp. S. calumnia.*

21. *Aliter* Dordraceni, *aliter* Primitivi Patres, *de Gratiâ pronunciârunt*, Juſtinus Martyr, D. Baſilius, Origenes, Auguſtinus.

22. Con-

22. Contra-Remonſtrantes *in S.S. citandis* ingenioſi *magis, quàm* ingenui.

23. Tracti & docti παράλληλα.

24. *Ad quæſtionem* Mareſii *reſpondetur.*

25. Hierocli tractio, ἕλξις, ἕλκυσις; D. Auguſtino Trahi, audire, & diſcere; *Attrahere, allicere.* Tertullianus *molliter vertit* ἑλκύειν, adducere.

26. *In idem recidit quod S.* Baſilius, &, *ex* Auguſtino, Gregorius, *quamvis aliud ex eodem* Davenantius, Sar. Epic.

27. *Contra* irreſiſtibilitatem *argumentorum copia explicata.*

28. *Fluctuant adverſarii in arbitrii libertate, quam, cùm auferre nequeunt, nolunt ponere.*

29. *In-*

29. *Indulgentiores hac in causâ Patres antiqui*, Justinus Martyr, Ambrosius.

30. *De Angelorum obsequio, præter vulgi sententiam, nonnihil conjicitur, quod non fidenter asseritur.*

31. Ασύστατα Remonstrantium Dordracenis *objecta.*

Ad

Ad Eosdem
DE
Gratia Salutari Resistibili.

NOndum factus sum *A.A.* tam turpis mei adulator, palpatórve parùm verecundus, ut, quæ *De Fide Rationali* transmisi nuper, vestríque liberè subjeci judiciis, credam vobis placuisse omnia, &, quæ sum pollicitus *De Gratiâ*, at prelum ita instanter evocare. Video

Video me in amicitiæ vestræ quandam quasi decipulam incidisse, & obæratum promissis, justiùs an benigniùs nescio, captum detineri: Liberabo me, si aliter fieri non possit, etiam cum nominis, nunquam magni, periculo: novi enim quibus necesse habeo displicere, dum vobis placeam (nec potest quisquam tali placere populo, cui placet veritas) quamvis (quod ingenuè fateor) nisi æquè prodesse sperem, ac placere, aut Scriptorum pœniteret, aut, quorum non pœnitet, inter adversaria, nulli unquam sectæ factioníve, no-

nocitura, libentiùs rejicerem. Sed in fluctus medios eundum est, & cum qualicunque difficultate vel rerum, vel hominum, sub veri auspiciis, ut ab omni suspicione *Tyrannidis* redimatur *Gratia*, magno animo colluctandum. Serpit virus, *Jansenitic-* 1.
cum, dicam, an *Calvinisticum?* &, specioso *D. Augustini* nomine, invadit animos nihil interim hostile metuentes: Suppresso paulisper, haud extincto vereor, in *Flandriâ*, *Galliáve* incendio, occupavit *Bataviam*, tentat *Angliam* salutari præsidio fermè destitutam;

Inde

Inde est, quòd excepistis nuper traduces illas *Regiportanas* (ut putatur) *Epistolas*, crudis undique calumniis refertas; ubi tamen *Doctissimorum Patrum* Responsis, Apologiis; Replicatis, per quæ nobis temperantur plurima, & periculosè minùs propinantur, aut *idioma* deest *Anglicum*, aut animus potius nostratium liquidus, & à studio partium separatus: sic, more suo, *Errori* struit viam *Calumnia*, parùm fidei aliàs reperturo.

Τοιȣ́σδε λόγους ψιθύρȣς πλάττων,

Εἰς ὦτα φέρει πᾶσιν Ὀδυσσεὺς,

Καὶ

Καὶ σφόδρα τείθει.

Pari methodo imposuit suis alibi *Maresius*, *Ecclesiastes* utcunque *Groninganus*, scriptor sanè parùm *Canonicus*, qui versipellem fecit *Jansenitarum Catechismum*, Latinitate donavit, auxit scholiis, eundémque titulo *Catholico* adoptavit: quam opellam *Gratiæ* quendam *Epicyclum* nominat, & *Circulum deferentem*: in quo nempe movetur suæ *Mercurius Theologiæ*, at incertis adeò gyris & strophis, ut nihil constat *Theoricam* legentibus, nisi, quod de *Planetâ* omnium fallacissimo rarò nobis tradunt 2.

tradunt *Astronomi*, in *Solis*, lucidissimo scilicet *Veritatis*, corpore, quasi maculam quandam apparere. Viro interim longè magis suis *Catechistis* Catholico, verè pacifico, *Hugoni Grotio*, alicubi, sc. humanum arbitrium *irresistibilis Gratiæ* dominio subducenti, aliáque ejus afferenti privilegia, *Pelagianismi* affigit notam *Papa Batavus*, *Romano* semper, quà tali, ex diametro oppositus; Antiquis idem facturus *Patribus*, quorum verba & sensa ad *Epicyclos* suos & *Phænomena Gratiæ* arripere nequeat, & contorquere. Nec tamen

men hunc κατὰ πόδια persequendum suscepimus; propiora nobis habemus nomina, Divinæ *Gratiæ*, sub patrocinii prætextu, haud quicquã minùs inimica, à quorum superstitioso cultu liberandam duximus, & *Voluntatis arbitrio*, cum debitâ reverentiâ, modestâ scilicet, magísque acceptabili, conciliandam.

At quibus quantísque in angustiis versamur, qui Theologicam hanc præturam aggredimur; qui salutaris gratiæ, humaníque arbitrii vindicias decernimus, præpotenti nimis, *h.e.* proprio olim docuit exemplo *D. Augusti-* 3.

nus

nus de Peccator. meritis & remissione contra Pelagianos l. 2. ubi ait, *Ipsa ratio, quæ de iis rebus iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: rursùs, ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superbi impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.* Quæ ingenua venerandi Patris confessio, & singularis modestia, nobis primùm sublimitatem hujus controversiæ speculantibus pudorem incusserat, & ab arduo tanti operis molimine planè absterruerat, nisi

nisi effrenata *novatorum* audacia, & importuna satagentia, Patres, Concilia, ipsúmque sacrum Canonem advocantium in *Maneticæ* nempe insaniæ subsidium, & *Stoïcismi* patrocinium, invitos (quantum!) reluctantésque protraxisset. Non ero ambitiosus exagitator nominum, taceo cæteros, sit instar omnium unus *Jansenius*, non *Gandavensis* ille, sed *Iprensis* Episcopus, cujus posthumo fœtui nomen *Augustinus*, *Sanctum* fortè noluit appellare, nec decuit quidem, quippe qui *nec modestiâ Sancti Augustini, nec*

reconditam ſapientiam, nec inhærentem ſacris literis ſententiam, nec Theologicum denique genium ſpirat, ut rectè monet *Egidius Thybault Lovanienſis* præfatione habitâ ad Theſes Theologicas. In octodecim articulos compegit hic Janſeniana dogmata, μορμολύκεια, pleraque, & portenta mera pſeudo-theologiæ. Mitto
5. hæc: *Deum verè & propriè obſervatu impoſſibilia præcipere, atque ob ea non ſervata pœnas exigere. Ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato de linquentem.* Articulus primus, *Janſeniana* prorſùs fun-

fundus Theologiæ, hic eſt. *Hominem, uti & Angelos, ita in juſtitiâ originali fuſſe conditos, ut aliter condi non potuerint, neque ad ſupernaturalem beatitudinem non ordinari, adeòque viſione beatificâ non donari, ſi, quod facillimè poterant, ſine culpâ in innocentiâ perſeverâſſent.* Quare quatuor libris ſummâ contentione negat, ſalvâ Dei juſtitiâ, hominem, aut angelum, ſine gratiâ & ſupernaturalibus donis, in ſtatu puræ naturæ condi potuiſſe, ... ſc. *Quia Deus nihil poteſt facere, quod in ſuo ordine non ſit: inordinata autem foret*

creatura intellectualis nisi in statu Gratiæ crearetur: sic *Elucidatores Catechistici* sensum explicant *Iprensis Episcopi*, non advertentes interim *ordinem* illum, quem phantasticè speculantur, non esse creaturis collectivè sumptis *intrinsecum* & *necessarium*, quatenus à Deo creante abstrahunt, sed ab eodem *institutum liberè*, cui ita ordinanti submittunt jugum, placidéque subministrant. Nec secundò, de *Ethnicis Philosophis*, illis virtutum moralium ectypis perfectis, rectè judicant, qui, si tales creati essent, quatenus ad virtutes

tutes intelligo actionibus debitis & circumstantiis exercendas, exclusâ prorsus δεισιδαιμονίᾳ omni, ac εἰδωλοθρησκείᾳ, nec à *mediocri hac gratiâ* facultatéve excidissent, extra ordinem tamen creaturarum intellectualium, censentibus Jansenitis, subsisterent, & inter bruta prorsus animalia vescerentur.

Secundus hic, *Hominis primitùs conditi ea fuit indispensabilis conditio, ut, si aboriginali justitiâ peccando descivisset in posteritatem omnem connaturali generatione propagandam, non ex Dei statuentis arbitrio, sed ex rei naturâ*

necessariò peccatum derivaret, eo prorsus modo physico ac reali, quo fons vitiatus rivulos infectos fundit, leprosus leprosum gignit: Justitiam verò, si in eâ stetisset, non hac ratione transfunderet, sed eâdem lege ejusdem essent necessariò participes posteri, quâ ipse eam à Deo conditore acceperat, qui nimirùm, nullâ præeunte culpâ, aliter homines condere non posset. Ad septimum, brevitatis ergô, transilio. *Christum non magis orâsse Patrem pro infidelium, aut justorum, non perseveraturorum, salute, quàm pro Diaboli.*

Ut-

Utque tandem, Amici, moræ veſtræ pretium habeatis, & rationabile ſaltem præmium patientiæ, nec inanem nobis recitandi operam meritò exprobretis, cogitate obſecro, quales theſis noſtra ſit adverſarios habitura, quos videtis pulchro hoc ſtipatos ſatellitio, cinctos comitatu. Sequitur enim articulo octavo, *Nullam omninò in hoc ſtatu naturæ lapſæ dari gratiam ſufficientem, quæ ſimul efficax non ſit*: nono, *Non poſſe hominem gratiæ reſiſtere, eámque deſerere, ſi velit; adeóque abſolutè neceſsitari, ſive ad bonum, ſi gra-*

tiam habeat; sive ad malum, eâ si careat. Quorum utrumque, favente numine, nec rationi rectæ sanæque consonum, nec indubitatâ Patrum authoritate firmatum, nec infallibili denique sacrorum Codicum prærogativâ insignitum, speramus nos hoc conatu literario, brevi quamvis, haud infæliçi probaturos. Intereà temporis pauca hæc præmittenda duximus, tanquam leves auras explicandæ theseos, animíque nostri nuncios emissitios.

6. Primò, *Hominem fuisse primitùs conditum ad imaginem*

ginem Dei, h.e. *purissimâ animæ virginis substantiâ, integerrimis facultatibus, intellectu &c. & voluntate* (more nunc communi loquor, qui aliàs soleo, *Scaligeri*cliens, nullas rationales facultates ab animæ substantiâ distinctas agnoscere) pergo, *justitiâ & sapientiâ originali imbutum, liberrimo arbitrio, promptissimo ad bonum, ad malum possibiliter inclinando; ita conditum, nullâ naturali necessitate, ad supernaturalem felicitatem ordinatum, non cogente hoc divinâ justitiâ, sed ineffabili misericordiâ largiente.* Contra *Jansenium.*

7. Secundò, *Hominem, si in primitivâ hac puritate perstitisset, eandem fuisse posteris transmissurum, lapsum, originalem animæ labem contraxisse, eámque posterorum singulis* (quantum scimus) *si unum Christum* Θεάνθρωπον *excipimus, æqualiter delegâsse, séque & suos æternis cruciatibus addixisse; ordinante hoc divino beneplacito,* ἀμαρτία γὰρ οὐκ ἐλλογεῖται, μὴ ὄντος νόμου, *naturâ rei minimè necessitante.* Et hoc contra *Jansenium.*

Ad Rom. 5. 13.

8. Tertiò, *Hominem originali contagione correptum, absque gratia Dei, quæ per Christum est, eundem præveniente*

veniente ut velit, & cooperante dum vult, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sint & accepta, nihil valere. Ipsissima ferè verba sunt *Ecclesiæ Anglicanæ* in *Synodo Londinensi, An.* 1552. Quæ tamen pergit, & insequente articulo prærogativum quoddam dignatur omen, & de jure-vocatis Centuriis statim ad suffragia citandis spem nobis tribuit certissimam; verba sunt hæc, *Gratia Christi, seu Spiritus sanctus, qui per eundem datur, cor lapideum aufert, & dat cor carneum; Atque licèt ex nolentibus quæ recta sunt, volentes fa-*

faciat, & ex volentibus prava, nolentes reddat, voluntati nihilominus violentiam nullam infert. Quod, ſi quid intelligo, quamvis actualem voluntatis conſenſum ponit, ſupponit tamen poſſibilem reſiſtentiam, nobiſq; ſuffragatur negantibus, *Gratiam ſalutarem eſſe vim irreſiſtibilem.* Sed ad rem.

9. Per *gratiam* in genere volo, *Quicquid præter naturæ vires in Chriſto Mediatore reſtitutas, animæque potentias redintegratas, donatur à Deo, quovis modo promovens hominem ad ſalutem æternam, ſive removendo prohibens, ſive pro-*

proponendo conveniens, ſive intellectum illuminando, ſive voluntatem auxiliando, ſive affectus ſanando, tetúmq; hominem, vel quamcunque animæ ſuæ partem, facultatémve, ſi vultis, *in conditione ultra naturalem & creatam ſtatuendo.* Amplector etiam quintuplicem gratiam, quam ſe à *D. Auguſtino* mutuare adverſarii, Janſenizantes ſc. Calviniſtæ, profitentur, *prævenientem, præparantem, operantem, co-operantem*, & quod ultra noſtram cauſam progreditur, *donum perſeverandi*: duas primas ad inferendam ſubjecto capacitatem

tem futuræ donationis requisitas; tertiam à quartâ, nisi interveniente convertendi difficili morositate, obstinationéve immobili, nunquam separatam.

Nec has tamen diversas gratias, sed unam eandémque, variam & multiformem, monente hoc *Tertulliano, adverſ. Jovinian.* quæ à Petro Apostolo dicitur *gratia multiplex*, & significantiùs adhuc Græcè, ποικίλη.

Salutarem gratiam brevissimè definio τὴν περισσείαν τῆς χάριτος, καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, sunt Beati Apostoli verba ad Rom. 5. *abundantiam*, vel po-

10. v. 17.

potiùs circumfluam redundantiam *gratiæ & donationis justitiæ*, quam accipientes *in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* commate 17.

Sententiarum Magister, & ferè omnes Scholastici, dividunt hanc in *operantem* & *co-operantem*: *Operantem* statuunt hominis voluntatem præparare, ut velit bonum; *co-operantem* adjuvare, ne frustrà velit. In idem recidunt *prævenies*, & *subsequens*; *excitans* & *adjuvans*. *Lib. 2. Dist. 26.*

Quid sit *vis*, quid *resistentia*, consulendi sunt Naturales Philosophi, sunt enim termini in Physicâ

ſicâ nati, Metaphoræ ductu in coloniam tranſlati, factíque tandem municipes Theologiæ. Status controverſiæ eliciendus eſt non ita ex Patribus *Loyolitis* & *Janſenianis*, (quorum utrique ſuos habent è noſtris aſſeclas, pari privilegio, quantum ad homines; longè impari jure, quantum ad *Veterum Patrum* ſententiam, *Sacri Canonis* αὐτοκράτειαν, rationiſque nunquam novæ, ex quo primitùs homini, ad imaginem divini intellectùs formato, injecta fuerit, immobilem firmitudinem) ac ex oppoſitis *Remonſtrantium* & *Contra-*

3. & 4. *Doct.* 1. c. 8. *Art. de Converſ. modo.*

tra-remonstrantium sententiis. Posteriorum Diva Tutelaris, *Synodus Dordracena*, metuens sc. ne Spiritus gratiæ cum hominis voluntate, tanquam *Retiarius* cum *Mirmillone* commissus, ni victor evadat, non imbecillior judicetur, ut facetè quidem & appositè *Tilenus* rejicit eos qui docent, Deum in hominis regeneratione eas suæ omnipotentiæ vires non adhibere, quibus voluntatem ejus ad fidem & conversionem potenter, & infallibiliter, flectat; sed positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad ho-

Not. ad Can. 11.

hominem convertendum utitur, hominem tamen Deo, & Spiritui S. regenerationem ejus intendenti, & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, & actu ipso sæpe resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat, atque adeò in ipsius manere potestate, ut regeneretur, vel non regeneretur. Ad quam tamen sententiam propiùs accedunt Remonstrantes, quorum in Collatione Hagensi hæc ferè sunt verba, *Agnoscimus quidem in resistibilem quandam vim Spiritûs in intellectu, quando Deus intellectum illu-*

Jo. Malder. in Anti-Synod. c. 8.

minan-

minans voluntatem ſuam patefecit, & in corde, quando is corda noſtra pulſat; ſed gratiam eam, quâ voluntas noſtra ad bonum determinatur, & Spiritus S. in nobis actum fidei efficit, totúmque opus obedientiæ quam à nobis Deus in Evangelio exigit, vocamus reſiſtibilem, quia illi homo ſua voluntate poteſt reſiſtere, & ejus actum impedire; & infra. *Gratia Dei non ubique, neque ſemper reſiſtentiam omnem ſuperat in omnibus, in quibus efficaciter vult operari.*

Stamus nos à parte *Remonſtrantium*, & in Scri- 12.

Scripturæ primùm clientelam ſuſcipimur, S. Mat. 23. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?* ἠθέλησα, καὶ οὐκ ἠθελήσατε, voluit Deus, noluerunt Judæi, quorum *nolle* erat *reſiſtere*, ſive reſiſtentia ſumatur *negativè*, quæ conſiſtit in incapacitate ſubjecti ad recipiendam formam, erant enim, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, ſicut de Gentibus lo-

loquitur D. Paulus, *alienati à vitâ Dei per ignorantiam.* Legis periti sustulerunt iis *clavem scientiæ*, ut queritur Christus Luc. 11. Sive secundò sumatur resistentia *privativè*, quâ subjectum, quantumvis aptum ad recipiendam ab agente formam, aut neutiquam ei, aut ægrè, cedit, erant enim σκληροτράχηλοι, καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ, *durâ cervice & corde incircumcisi*, quod iis exprobrat S. Stephanus Act. 7. Sive denique maximè propriè capiatur, hoc est, contrariè, quâ quidpiam actione suâ cum adversario con-

Ad Eph. 4 18.

v. 51.

congreditur, ejuſqúe vim contra-pugnando, quoad poteſt, debilitat, aut quod non omninò poteſt, tentat, cum *D. Hieronymo* loquor, contraire ſatagit, *Reſiſtere enim Deo dicimur, cùm repugnare ejus diſpoſitionibus conamur.* *Calvino* dicitur *diabolicus hominum furor*, qui Deo reluctari non dubitant. *Trucidarunt prophetas, nuncios lapidârunt*, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατήσαντες, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίσαντες, *conculcantes filium Dei, & ſpiritui gratiæ contumeliam facientes.* Quid ad hæc adverſarii? Primò

L. 9. in Job c. 2.

Harm. in Evang.

Ad Heb. 10. 29.

13. aiunt, *Non dici in textu quòd*

quòd ii quos Deus per internam operationem spiritûs vocare voluit, congregari noluerint, sed tantùm quòd Jerusalem, i.e. *primores urbis tum in politiâ, tum in Ecclesiâ, noluerint*, h.e. *obstiterint, quò minùs Christus eorum liberos* i.e. *cives & discipulos congregaret.* Quos certè suspicor huc adductos, quoniam Christum ad Scribas & Pharisæos conversũ διαῤῥήδην iis, Væ suum multoties denunciâsse observârunt; sed curiosiùs intuentibus novahîc videatur apostrophe, quæque ex præcedente commate tutiùs asseratur. *Amen, dico vobis, venient*

Act. Remonr. cir. Art. 4.

Matth. 23. 36.

venient hæc omnia ſuper generationem iſtam, quam obſecro, ſcribarum tantùm & Phariſæorum? imò eorum potiùs, *quibus relinquetur domus deſerta*, quod in ſequente verſiculo Chriſtus comminatur, quódque fatali totiùs urbis excidio, ſtato tempore, reliquos æquè omnes ejuſdem incolas intra amplioris judicii turbinem corripuit. Nec quidem *Genevenſis Magiſter* negat, hoc poſſe tam ad *totam gentem*, qnàm *ſcribas* referri, quamvis de his potiùs interpretatur, à *quibus*, ait, *maximè impedita fuit collectio.*

Harm. Evang.

Sed

Sed aliam adhuc rimam reperiunt, nempe, *Non posse ex textu probari, à Christo hæc dici secundum divinam ipsius & omnipotentem voluntatem, non autem secundum voluntatem ipsius humanam, quam habuit ut servus Domini, & Doctor Ecclesiæ*, vel, ut habet Perkinsius nostras, *Christus hîc non loquitur ut Deus, sed ut Minister circumcisionis.* Non diffiteor quidem nullum hîc in respondendo esse Jacob: Arminium, qui ministro huic potestatem assuit baptizandi Spiritu sancto, gratiámque sufficientem largiendi; quem ergò

Def. sent. Rem. cir. art. 4.

Jac. Armin. Exam. Prædi. Perk.

tempestivè monet Gulielmus Twissus in suis vindiciis, *Christum hanc potestatem habuisse non secundum humanam naturam, sed divinam.* Audiant tamen Perkinsiani manes aliter respondentes, &, si libuerit, Twissiani. Dicimus, Christum, cùm ait, *Quoties volui congregare*, non ad *personale* aliquod officium respicere, quod fuerat ipse in carnis œconomiâ executus; sed ad *ministeriale* potiùs, quo ab initio defuncti fuerant *Moses*, *Prophetæ*, aliíque omnes salutares nuncii, cuique etiam ipse tandem in per-

sonâ propriâ, quod non invitus concedam, clauserat aciem, erat complementum: quasi dixerat, *Prophetas delegavi, at quoties trucidâsti? nuncios misi, at quoties lapidâsti? ipse veni, quem etiam rejecisti.* Jam interrogo, Nunciósne misit Christus ut homo? An non ipse potiùs, circumcisionis, ut loquuntur, minister, à seipso Deo erat missus, vel, ut personis sartum tectum servetur privilegium, summi patris mandato.

Quâ ergo misit, venítque, ipse authoritate ut congreget, eadem vo-

luntate, *h.e.* divitâ, voluit congregare. Sed, ne meo rem agam remigio, sisto Patrum unum saltem, nimirùm *Origenem*. *Quomodo*, inquit, *hîc Dominus Jesus, quasi qui frequenter voluit congregare Judæos, non autem congregavit propter contumaciam nolentium credere, ita dixit, Quoties volui? cùm sit manifestum semel eum docuisse in corpore Judæos? Sed non solùm in præsentiâ, verùm etiam substantialiter semper Christus præsens fuit, & in Mose, & in Prophetis, magis autem & in Angelis ministrantibus saluti humanæ*,

manæ, & per singulas generationes, & sic impletur, Quoties volui? Alterum adhuc, sc. D. Irenæum ... "quoniam *liberæ sententiæ* "ab initio est *homo*, & li- "beræ sententiæ est De- "us, cujus ad similitudi- "nem factus est, semper "consilium datur ei con- "tinere bonum quod "perficitur eâ quæ est ad "Deum obedientiâ, & non "tantùm in operibus, sed "etiam in *fide liberum*, & "suæ potestatis arbitri- "um homini servavit "Dominus, dicens, *se- "cundum fidem tuam fiat "tibi*, proprium fidem "hominis ostendens, quo-

Lib 4 adversus hær. cap. 72.

" niam ſuam habet ſen-
" tentiam ••• ſecundùm
" hanc igitur rationem,
" & ſuum proprium o-
" ſtendens dominus, &
" *ſui arbitrii*, ac *ſuæ pote-*
" *ſtatis hominẽ* ſignificans,
" dicebat ad Hieruſalem,
" *Quoties volui* ••• &
" *noluiſtis, &c.* Qui au-
" tem iis contraria dicunt,
" ipſi *impotentem* intro-
" ducunt *Dominum*, ſc.
" quaſi non potuerit per-
" ficere hoc quod volu-
" erit; aut rurſum *igno-*
" *rantem* Choïcos, ut ipſi
" dicunt, & eos qui non
" poſſunt accipere ejus
" incorruptelam.

Quin prodeat tandem Dor-

Dordrechtanæ *Helena* Theologiæ, hîc sua celebret θεωρητικα. Distinguunt iterum de voluntate *signi* & voluntate *beneplaciti*; Aiunt, Christum voluntate *signi* voluisse cõgregare, non *beneplaciti*. At non alibi se torquet magis, minúsque expedit, *Gulielmus Twissus*, famosus ille nuperrimæ *Reformationis* anteambulo, & *Parliamentariæ*, si Diis placet, *Tartareæ* rectiùs, & ex profundo erebi emersæ, *Synodi Prolocutor*. Primò inquit, *Mandatum Dei dici solet voluntas signi, at non est voluntas Dei propriè dicta.* Secundò,

Errat. 9. s. 7.

Mandatum Dei semper infallibiliter significat quid à nobis fieri debeat, non semper infallibiliter significat, quid Deus velit voluntate propriè dictâ. Egregiam planè theologiam, & *Synodicæ* doctrinæ felix augurium. Quod ad primum, si dici solet quod non sit, quorsum, quæsumus, tam affectato cursu captetur, *Twisse*, & hæreditario jure retineatur, tantus in Theologiâ solœcismus, *Est & non est*, nisi ut de contradictoriis brevi in gratiam reducendis speremus feliciter, tuâve operâ reductis gratulemur. Sed ur-

urgeo. Est voluntas *signi*, ergò alicujus *signati signum*: *significat*, inquis, *à nobis præstandum aliquid, nec tamen interim à Deo volitum.* At cui, obsecro, præstare obligamur, nisi imperanti? à quo imperamur, nisi à volente? quid? verba *effutire*, aut modestiùs, *effari*, an rem peragi? nec enim mandatum hoc à naturâ Dei necessitatâ progreditur, sed liberrimi arbitrii beneplacito ordinatur. Pergis, *Nec ullam contradictionem, aut contradictionis speciem continent ista, Hoc debet à te fieri, hoc tamen à te non potest fieri.* Sed ista con-

tinent, mi Twisse, *Hoc vultà te fieri Deus; hoc tamen à te non vult fieri.* Sed ne de distinctione hac, quam mordicùs tenent, ulteriùs certemus, opportunè hîc reponit *Arminius. Esto ergò collectio ista per voluntate qua signi dicitur, hujus voluntatis necessarium consequens, sive effectum, est auxilium sufficiens, quo & ipsi Judæi velle possint,* nam, ut optimè ait *Bellarminus*, cujus hac in re justissimus est hyperaspistes *Arminius*, *Quomodo voluit Christus, et ita voluit ut queratur de nolentibus, si eos quos sciebat per se non posse velle,*

De Grat. & lib. Arbitr. l. 1. c. 11.

non

non juvit ut posset velle. Cujus querelæ justitiam se abundè vindicâsse adversarii opinantur, cùm *impotentiam* istam à Deo minimè profectam aiunt, *sed ab ipso qui à Creatore suo sponte defecit, Adamum* proculdubiò intelligunt. Profusè interim secundo *Adamo* sua merita gratulantur, quasi tantum ille nostro omnium nomine mereri non poterat, ac prior demereri; nec depressas naturæ, gratiæve antiquæ, vires ad pristinum gradum elevare, parùm cogitantes à quâ *potentiâ* originariè decidimus, an ab eâ solùm quæ

ad

ad *perſeverantiã* conduxerit, an nõ ab eâ etiam quæ ad *reparationẽ* lapſûs, olim integrâ, ſufficiente, nunc aut mutilatâ, aut nullâ; quod tamen ſtatum controverſiæ diſtinguit, & alterutrius partis lucrum auget, minuítve. Siqua ab iis prolata huc ſpectare videantur, ſunt ambigua adeò vocibus involuta, ut veritatem ſectantibus minimè ſatisfiat. Quæ adducunt *Remonſtrantes*, ſic ſe habent. *Adam tantùm accepit vires per quas lapſum poterat vitare, non tales per quas ex lapſu poterat reſurgere. Quas autem vires Adam non accepit,*

pit, eas non amiſit. Omnes verò actus qui Evangelio præcipiuntur, reſurrectionem ex lapſu continent, ergò ad actus Evangelio præceptos præſtandos, quatenus ſcilicet eo præcipiuntur, Adam vires non accepit. His adjicio. Ideò 14.
fortè non accepit, ne lapſum æquè ordinâſſe cogitetur Deus, ac inculpatæ vitæ perſeverantiam imperâſſe. Nec quidem neceſſe habuit ſe ita ſolicitè providum gratiæ promum condum exhibere, viriúmve damna poſſibilia reparantium accumulatorem prodigum, ut quicquid homo aut

reg-

neglectu amittat, aut ludibundâ ſponte projiciat, ex immenſo gratiæ theſauro reſumat idem, & ſupernæ diploma benevolentiæ temerè laceratum aut reſarcire cogatur Deus, aut renovare: ſatis eſt, quòd, quem primitiva dignitas ſtabili nexu devincire non poterat, miſericordia, poſtliminiò reverſa, donatum denuò potentiâ liberâ, benevolè invitaret. Sed ad lineas, *Impotentiam* hanc quam ab *Adamo Judæi* legatarii exceperant, *judiciariam* eſſe originalis peccati *punitionem*, ipſi adverſarii, quantum ſcio, nul-

nuspiam diffitentur; quo
concesso, rogamus quâ
lege, quâve justitiâ, te- 15.
neantur, eâdem operâ an-
tiqui peccati pœnas lu-
ere, & novi simul reatum
contrahere. *Non est enim*
(ut rectè monent Re- *Def. Sent.*
monstrantes) *officium ho-* *cir. Art. 4.*
minis facere id, ad quod fa-
ciendum potentiam non ha-
bet, idque ex punitione di-
vinâ præcedente. Neque
enim officium hominis,
cui oculi sunt effossi à ju-
dice, esse potest, ut legat
hæc aut illa mandata, &
nisi faciat, ut novæ &
gravioris pœnæ reum se
esse fateatur. Addo hoc,
Quàm scenica esset, &
thea-

theatrica benevoli affectûs larva, si prædicaret Christus, eos se gallinæ instar sub alas congregare voluisse, quos milvi corripiendos ungulis prospiceret, vel potiùs irrevocabili sententiâ à seipso excidio destinatos. Aliter explicat. D. *Irenæus* adv. Hæres. l. 4. *Aliud quod ait*, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, *veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à*

cap. 71.

16.

Deo,

Deo; Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in angelis. Quibus siquid appositè, & ad rem, à S. Patre prolatum sensérimus, non uni tantùm *Adamo* asserit donatam libertatem arbitrii, & sufficientiam gratiæ oblatam, sed & eandem ipsam ad *Judæos* reducem, gratiosâ Dei largitione restitutam.

Sed eccum vobis *A. A.* tempestivè dicam, an importunè? *Sphing-Oedipoda Jan-*

Fanſenium; nec enim u-
trum ſolvit nodum, an
17. nectit, ſcio, an utrunque,
an planè neutrum; certè
ludit operam, & in re
Com in loc. ſeriâ, *Auguſtini*, ut ſolet
nomine, κεφαλαίῳ. Vo-
"luntatem iſtam con-
"gregandi, inquit, pleri-
"que intelligunt volun-
"tatem ſigni ... nam
"illi voluntati reſiſti ſolet
"ab hominibus, non autē
"efficacem, quæ ſemper
"impletur. Pergit, Quan-
"quam etiam de illâ ver-
"ba Chriſti vera ſunt;
"nam per illam filios ſuos
"ſæpe Chriſtus congregare
"voluit, & reipſâ etiam
"invitâ Jeruſalem, & no-
"lente,

" lente, & resistente, con-
" gregavit quoscunque
" ipse congregatos effi-
" caciter voluit ••• Sed
" quia ille resistendi co-
" natus poenâ dignissimus
" fuit, & plures ibi erant,
" quos obduratione, &
" desertione, dignos judi-
" caverat, hinc addit,
Ecce relinquetur vobis domus deserta. Conferamus, obsecro *A. A.* calculos. Voluit *signanter* (*Jansenizet* semel ex condicto adverbium) Hierosolymitani *noluerunt*; Voluit *efficaciter*, Hierosolymitani *noluerunt*, *restiterunt*; Nolentes *ad signum* non convertit, sed

præ-

præterit, imò pœnæ ſubjicit, tradit excidio : Ad *efficaciam* pertinaciter reſiſtentes, non invitat ad conſilium, ſed trahit ad præmium; Peccatum minus punit, majus coronat; *Æquivocam Urbem*, utriuſque horum reatus participem, (quidni veniæ itidem & gloriæ?) non caſtigat molliter, ſed demolitur, delet; Innumeros adhuc naſcituros incolas, ne *ſigno* quidem vocatos aut volitos, ruinis deſtinat, & efficaci *Gratiæ* triumphalem tumulum gratulabundus erigit capitum innocentium. Capiamus pignus hoc Janſenianæ

nianæ juſtitiæ, & miſericordiæ exemplar Paleſtinæ Tyranno, ad *Boſphorum* uſque *Thracium*, relegemus.

Non deſunt adhuc plura ſacri Canonis teſtimonia, quibus poſſet theſeos hujus veritas immobiliter ſtabiliri, ſiquod in vobis *A. A.* vacillantis animi dubium poſtularet, vel non læſa potiùs etiamnum patientia citari prohiberet. Non pigebit tamen, ſcio, unum adduci.

Act. 7. 51. *Duri cervice, & incircumciſi corde, & auribus vos ſemper ſpiritui illi ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.* 18.

vos. Non dissimulo hîc *D.Chrysostomum*, de quo altum reperio utrinque silentium, aliorsum hæc, quàm ad conversionis moram, divertere, & sufficienti gratiæ oppositam contumaciam, ἀπεναντίως τοῖς ἐκείνῳ δοκοῦσι πάντα ποιοῦντες ἀεί, sed quænam sunt hæc? ὅτε γοῦν ἐβόλετο αὐτὸς νηστεύειν, λιπαίνοντες ἐπλατύνοντο, ὅτε δὲ βόλεται αὐτὸς μὴ νηστεύειν, τότε φιλονεικοῦσι νηστεύοντες. *Cùm quidem eos jejunare voluerit, saginati distendantur; Cùm velit eos non jejunare, jejunant, contentionem amantes.* Patimur hanc, sed & aliam explicatio

nem-

nem amplectimur, ad quam, solari veritatis lumine circumfusam, aquilinæ Ecclesiæ spurii pulli claudunt oculos, & spontaneam sibi affectant caliginem. Sed incubemus pauliſper *Contra-remonſtranti Jovi*, & oracula auſcultemus. Distinguit hîc cum cliente. *Perkinſio*, Doctor *Synodicus* de gratiâ *internâ* & *externâ* (Infelix divinæ gratiæ divortium!) Per *externam* intelligit prædicationem verbi, prophetarum ministerium. Ait, *eos dici ſpiritui Sancto reſiſtere, qui huic miniſterio recalcitrant.* Summa est, *externæ* gratiæ

Errat. 9. S. 8. 19.

tiæ patitur reſiſtentiam, *internàm* ſtatuit nunquam non efficacem; vel, ut in Oxonienſi Academia celeberrimi Profeſſoris verbis habeatis, *Reſiſtere convertendi poſſunt Spiritui Sancto externè per miniſtros ſuadenti, non internè per gratiam efficacem operanti: & qui ſequuntur irreſiſtibiliter pedo gratiæ trahentem, ab eodem reſiliant fiſtulâ tantùm verbi congregante.* Ingeniosè ſatis & eleganter, utinam æquè nervosè ac ſolidè Rogo. Ecquid intendit Spiritus Sanctus per *externam* gratiam, & verbi predicati miniſterium

Lect. 4. De Converſ. modo.

um? Respondet *Twissus*, *intendit hoc ut medium externum.* Pergo. Omne medium est ad aliquem finem possibilem ordinatum, habétque in se intrinsecam potentiam efficacis concurrentiæ ad eundem finem, remotis impedimentis, assequendum; nec ab agente, præsertim intellectuali, applicatur, prævisâ impossibilitate finis, mediíque potentiâ aut non omninò, aut frustrà, in actum eliciendâ. Dignatur *Twissus* aliqualem in medio hoc sufficientiam potentiæ, quam *secundum quid* nominat, *simplicem* haud

agnoſcit, quam ſemper defuturam judicat, niſi per internam cordis apertionem, ut aut actu convertantur, aut converti poſſint potentiâ proximâ. In quibus videtur gratiæ *internæ* potentiam proximam, & efficacem, *externæ* remotam, minúſque ſufficientem, aſſignare. Sed an non hic idem *Twiſſus* eſt qui alibi hanc potentiam remotam *impotentiam* potiùs, quàm *potentiam*, exiſtimat? quod ſi ſic, *Spiritus Sanctus* horreo loqui, *applicat medium, in ſe habens intrinſecam concurrentiæ impotentiam, ad finem præſcitum*

Errat. 9. S. 1. 20.

tum, impoßibiliter producendum. Quo quæ major affigi poſſit divinæ miſericordiæ calumnia, indigniúſve dehoneſtamentum prudentiæ? ſed aliud hîc quærit diverticulum, & *Perkinſiano* nomine aſſerit, *Spiritum Sanctum per miniſterium prophetarum operari gloriam ſuam, ſed non ſemper converſionem noſtram.* Balbutienti infantulo ſuggeramus verba, *velle* operari gloriam ſuam, *nolle* operari converſionem noſtram.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla reportat.

Hiccine ille Deus est, qui *Vivo*, ait, *nolo mortem peccatoris?* & tamen quod se *nolle* profitetur, in eo maximè, dicente *Twisso*, & frequentissimè gloriatur? At quantum abest à Spiritu Sancto, ut ex necessariâ miseri peccatoris impotentiâ, gloriam aucupetur, aut ex mustaceo hoc quærat laureolam? Quid ad hæc Patres *Dordraceni? Quotquot per Evangelium vocantur, seriò vocantur. Quòd multi vocati non veniunt, & non convertuntur ... culpa est in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum vitæ non admittunt securi,*

S. 8. & 9.

curi, alii admittunt quidem, sed non in cor immittunt. Seriò etiam omnibus ad se venientibus, & credentibus, requiem animarum, & vitam æternam promittit. Siccine verò? *Seriòne* ii à Deo *vocantur*, qui ab eodem Deo, ex Dordracenâ sententiâ, *seriò reprobantur?* Eorúmne ipsorum culpa est, quo minùs veniant, quos Deus à peccatis, & originariâ impotentiâ, non solvit, & quo non solvente, venire nequeant? Num ab iis *seriò* fidem postulat quam quibus ipse non dat, habere non possunt? Num iis denique *seriò* vitam

æternam promittit, quos ipse æternæ morti destinavit? De conditione violatâ nequicquam contenditur, cùm à juristis ipsis, quanto magis à Judice Cœli & Terræ? *Conditio impossibilis pro non scriptâ habeatur.* Gratulor ideò Patribus hisce capaces animos, catholicismum Imperii, quibus licet, Deo *Termino* inoffenso, nullibi non *Ambarvales* suas ferias celebrare, & remotissima quæque maximéque oppositа, intra amplissimum ditionis suæ orbem amplecti, continere. Hoc antiquis non licuit, qui ferè

Instit. Imper. l. 2. tit. 14.

ferè semper divinæ gratiæ *externæ* vocanti *internam* etiam adjungunt operantem. *Justinus Martyr*, πυρωθέντες διὰ τοῦ λόγου τῆς κλήσεως αὐτοῦ. *Inflammati per sermonem vocationis suæ.* Gratia hîc *externa* vocat, *interna* cor vocati accendit. D. *Basil.* Ἐν ἐυκαταφρονήτοις λεξιδίοις πολὺ τὸ ἐπαγωγὸν, καὶ πρὸς σωτηρίαν ἐφολκὸν, ἔχει τοῦ εὐαγγελίου τὸ κήρυγμα. *In contemptibilibus dictiunculis multum habet adducens & attrahens ad salutem Evangelii prædicatio.* At non habet hoc, fatentibus adversariis, *externa* vocatio, ergo huic unienda 21. *Dial. cum Tryphon. Jud.*

est *interna* operatio. *Origenes, Anima humana boni spiritus recipit energiam, i. e.* inoperationem, *cùm & provocatur ad bona, & inspiratur ad cœlestia vel divina, sicut sancti Angeli, & ipse Deus operatus est in Prophetis, suggestionibus sanctis ad meliora provocans, & cohortans: ita sanè ut maneret in arbitrio hominis & judicio, si sequi velit, aut nolit, ad cœlestia & divina provocantem.* D. August. *Quanquam sibi quis tribuat, quod vocanti obtemperat, nemo potest sibi tribuere, quòd vocatus est.* Vocat Deus per gratiam

Expos. Ep. ad Rom.

ex-

externam, *internam* etiam habet vocatus, per quam vocanti obtemperat. Scio quid ad hæc omnia nobis reponent adversarii, coccysmum suum, & salutiferam theriacam; sunt enim *Chymicorum* instar, qui tegunt singula suo *Mercurio*. Dicent, Patres locutos hæc non de *sufficiente* gratiâ, sed *efficace* irresistibili. Τυφλὸν ὄνειρον, quo sibi placeant, nobis, nisi somniantibus pariter, vix imponent aliis ignota, inaudita nudè asserentes, à nemine, cui non æquè commodum quærendum est subterfugium perti-

naciæ, aut dicta quidem uſpiam, aut credita.

Præf. ad Apparat. Jam quoniam, quod obſervavit noſter *Montacutius* ὁ πάνυ, dum ſcripturarum hi prætendunt αὐτοπιστίαν, αὐτονομίαν, αὐτεξουσιότητα, & τὸ ἀνυπεύθυνον, ſuas ipſorum λογωθίας ſolent incautis obtrudere, operæ erit pretium tentare ad ſanos ſenſus quædam reſtituere, & ab eorum inſaniâ vindicare.

Primum ſit hoc, D. Joh. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater,* 22. *qui miſit me, traxerit eum.* Ergo aiunt, *venientes trahit, nec patitur reſiſtentes.* Certe hîc opportunè moneo,

moneo, quod sæpiùs observavi, *Quinquarticulanis* hisce *Contra-remonstrantibus* receptissimum esse, & in citandis sacri codicis testimoniis maximé usitatum, Quod è re sua futurum autumant, arripiunt temerè, aut omninò nullâ, aut superficiariâ, contextûs ratione habitâ, & orationis serie parum spectatâ; Nec alibi magis, quàm hîc, suum antiquum obtinent, sequente enim commate dicitur, *Est scriptum, in Prophetis,* Καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. *Et erunt omnes docti à Deo;* quasi παραλ-

λαλίζειν

λαλίζειν vellet Christus
23. ἑλκύειν & διδάσκεσθαι; Ita ut *tracti* nihil aliud sit quàm *docti* à Deo, & ab ejus gratiâ instituti. Quòd si urgeant, dictum hîc πάντες διδακτοὶ, *omnes docti*, at non sunt *omnes tracti*, hoc est, conversi, gratam nobis operam collocabunt, qui universalitatem sufficientis gratiæ statuimus.

(Quòd enim quærit *Maresius, Quid prodesset hominibus posse credere si vellent, quum nunquam id ipsum ex seipsis, velle possint*;
24. Respondemus dupliciter. 1. Hoc prodesset sc. ut in condemnatione hac

Deum

Deum glorificent, clamando, *Justus est Dominus in judiciis suis.* 2. Sufficit si ex Deo velle possint, & tamen non volunt, quamvis ex seipsis nec velint, nec velle possint.) Cujus gratiæ particularis efficacia, ab arbitrio hominis liberato dependens, immediatè sequitur, πᾶς ὁ ἀκούσας, *Omnis qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.* Ubi aliùs parallelismus, ἑλκύειν & μανθάνειν, *trahere* & *discere.* Nec novum hoc, Hierocles olim, quod à 25.
perspicacissimo *H. Grotio* observatum reperi, *tractionem* divisit in *activam* & *ac-*

acceptatam, illam ἔλλαμψιν, hanc δόσιν appellavit. Veriſſimè hoc, & Romanâ, ſive Chriſtianâ potiùs, fide profiteor, explicationem hanc ſuggeſſiſſe mihi verborum ſeriem, ignoranti prorſus idem à *Remonſtrantibus* ipſis in defenſione ſuæ ſententiæ indicatum, aut alibi reperiendum. Cum *Stapletono* ergo non recuſo decernere, quod habet ille ex *D. Auguſtino*, *Trahi* hîc nihil aliud eſſe quàm *audire & diſcere*; *Venire* nihil quàm *donum acceptare à Patre*. Cum Caſtellione Dialog. 3. *Attrahere* idem eſt quod *Allicere*, ut

De Grat. & lib. Arb. l. 4.

in

in *Oſea* Deus, *Humanis funibus, loris amatoriis eos attraxi.* Cum clariſſimo *H. Grotio, velle facere voluntatem Patris.* Aut, ſi hi minùs arriſerint, cum *Tertulliano* ipſo, qui ἑλκύσῃ in hoc loco vertit *adducat*, lib. adverſ. Praxeam. Nam, quod ait *Macarius Hom.* 1. οἱ ὁδηγούμενοι, καὶ ποιμαινόμενοι κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον ὑπὸ τῆς θείκῆς δυνάμεως. *Ducimur, & ut à paſtore dirigimur ſecundum interiorem hominem, à divinâ potentiâ.* Quod S. Baſilius. πίστις ἐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἐνάγκαις, ἀλλ' ἡ τοῖς τῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγκινομένη. *Fides eſt nullis ne-* *In Pſ. 115. 26.*

neceſsitatibus geometricis, ſed ſpiritûs operationibus ingenita. Denique cum *D. Gregorio. Vis converſionis eſt affectio charitatis cordi infuſæ viſitatione Spiritûs Sancti.* ... ... Cui facem prætulit D. Aug. Tract. *26.* in "Joan. Nolicogitare te "invitum trahi (ubi de- "ſerit Magiſtrum Janſe- "nius, cùm nuper dixerit "invitos. Hieroſolymita- "nos congregans)trahitur "animus & amore. Imò, "quod majus eſt, (cum Poëtis hac in re diſpu- "tat de licentia) Si Poë- "tæ, inquit, dicere licuit. "Trahit ſua quemque

"vo-

"voluptas, non *neceſsitas*
"ſed *voluptas*, non *obli-*
"*gatio* ſed *delectatio*, quã-
"to fortius nos dicere de-
"bemus, *Trahi* hominem
"ad Chriſtum qui *de-*
"*lectatur* veritate. Unde
conſtat parùm commodè
eundem Patrem citâſſe
huc Sarisburienſem Epiſ-
copum in ſuppetias ſuæ
ſpeciali Gratiæ occultè
efficaci, apud quem *intùs*
loqui ſit *trahere*, cùm &
ibidem pateat eſſe tan-
tùm *perſuadere*, quo tan-
dem aliquando *reſiſten-*
tia amovetur, *reſiſtibili-*
tas non tollitur.

Expoſ. cap. 1. ad Colos.

Quam hîc excepimus, eandem etiam in aliis S. Scri-

Scripturæ locis, à *Contra-remonſtrantibus* adductis, vel detortis potiùs, fidem expectamus, quibus re-futandis impræſentiarum religio eſt aut vobis, *A. A.* ulteriorem aliquam in le-gendo moram, aut majo-rem mihi in ſcribendo creare moleſtiam. Super-eſt tamen, ne ipſe videar in ſtabiliendâ theſi prorſùs ἀσύμβολος, ut argumen-tum unum aut alterum conficiam, & Rationis ar-
27. bitrio cætera permittam.

Primò ſic, *Quod in con-verſionis actu tollit homini liberũ conſenſum, non eſt p-nendũ. Irreſiſtibilis gratia converſionis actu tollit hom-*

nis liberũ conſenſum, ergo.

Major hoc ſe firmat munimento. *Quod tollit actum obedientiæ humanæ erga Deum imperantem, non eſt ponendum. Quod tollit hominis liberum conſenſum, tollit actum obedientiæ humanæ erga Deum imperantem*, ergo.

Minor hoc, *Quod ſtatuit* indifferentiam *impoſſibilem, tollit hominis liberum conſenſum. Irreſiſtibilis gratia ſtatuit* indifferentiam *impoſſibilem*, ergo.

In his adverſarii, quod libertatem arbitrii ſpectat, mirè fluctuant, & toto incertiſſimo agitantur. In *Collatione Hagenſi* ſta- 28.

ſtatuunt, actum ipſum credendi neutiquam liberum eſſe, aut ullatenus à libero hominis arbitrio proficiſci, ſed tam ipſum credendi actum, quàm credendi potentiam, à ſolâ gratiâ effici, & quidem ſic, ut non magis impedire poſſit homo operationem divinæ gratiæ (ita videlicet ut per eam actu credens efficiatur) quàm aut nativitatem ſuam, aut ex mortuis reſurrectionem impedire poteſt; Quorum ſequaces, cùm de arbitrio per lapſum deformato loquuntur, aiunt, corrumpi prorſus, *quoad agendi terminum ſalutarem*,

D. Prid. Lect. 4.

lutarem, licèt non quoad *radicem*. Limatiùs alibi, & morosè minùs, ubi duplicem actum ponunt, primum *coactum*, quo Deus ex nolente volentem facit; secundum *liberum*, quo volens operatur. Sed frustrà hoc, nam, ut rectè animadvertunt *Remonstrantes*, *Volitio ista, quæ ab alio solo producitur, propriè libera volitio non est, quia non est actus à voluntate liberâ elicitus, sed impressus in eam per potentiam irresistibilem.* Sed adhuc premo. Voluntas liberata vel determinat se, vel à primâ vi impressâ determinatur. Sí prius,

quam-

quamnam excepit à primo actu irresistibili influentiam? Si posterius, quorsum actus duplicetur, ubi simplex agens, si velit, effectivè operetur? nec enim voluntati posterior actus tribuitur, sed agenti primo, moderanti adhuc, & arbitrii liberi habenas cõ-
29. trahenti. Indulgentiores nobis Patres antiqui. Justin. Martyr. Αὕτη ἔταξεν ἐν τῷ κόσμῳ τῶν ἁμαρτωλῶν ἰατρὸν δόκιμον. *Hæc* (nempe gratia) *in mundo statuit probatum peccatorum medicum, pœnitentiam, potentem septuagies septies labentes sanare*, μόνον εἰ βουληθεῖεν χρήσασθαι τῷ τῆς μετανοίας

ἀνοιας βουλήματι, *Modò ſi voluerint uti pœnitentiæ voluntate.* Intendite animos. Datur primò reſipiſcendi voluntas, utcunque limitata, inclinata; non ita tamen quin maneat adhuc libertas operandi, *utendi*, &, penè dixeram, pluſquam poteſtas reſiſtendi, præſertim ſi βουλήματι legatur (quod alii judicent) gratia erit non *imperans*, nedum *cogens*, ſed *conſulens.*

D. Ambroſ. *Operante Spiritu Dei juvatur arbitrium, non auferetur; & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus cir-*

circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata revalescat. Ad alterum membrum huic continuum, & indissolubili nexu sociatum, objiciunt nobis Angelorum obsequium necessarium. *Sancti Angeli*, aiunt, *non possunt non benè agere, & tamen laude obedientiæ propterea spoliari nequeunt, quia alacriter & sponte commissum sibi bonum assequuntur.* Sed non convenit inter oppositas partes de *obedientiæ* genere, de *absolutâ* disputant *Dordraceni*, de *mandatâ sub pro-*

promiſſo vitæ & comminatione mortis rectiùs *Remonſtrantes*, quam aiunt Angelis jam in bono confirmatis minimè congruere, quia quibus præmium obedientiæ jam aſſignatum eſt, eóque jam actu fruuntur, illis fruſtrà adhuc præſcribitur ad præmium conſequendum obedientia. Quid ego in hac reſentio, liberè profero. Eſtque hoc : Angelos 30.
jam in gloriâ confirmatos habere, vel eſſe, intellectus divinæ Majeſtatis radiis illuſtratos, voluntates in obſequium raptas, incorporeas ſub-

ſtantias ab omni labe poſſibili defœcatas, adeóque de divinâ naturâ participantes, ut quod priùs libero arbitrii motu, ab excitante gratiâ provocato, præſtiterunt, idem nunc, neceſſitante quadam naturâ elevatâ, ſive *virtute incommutabilitatis*, ut *Tertullianus* loquitur, (aut quiſquis author eſt Eccleſiaſticorum dogmatum) at etiam liberrimè, exequuntur. Nec, fortè, (nam nihil aſſero) in ſtatu hoc quid ſit Deus cras mandaturus, veluti ignorantes, expectant; ſed quæ in æternum facienda imperantur, ea omnia digeſta ordine,

Cap. 62.

ordine, classibus distincta, unitivo, *h.e.* intuitivo intellectûs συλλογιζομένȣ, nec tamen humano more ratiocinantis, actu præripiunt, &, dignatione divinâ, simul, quasi præsentia, speculantur; existentes, ὥσπερ μεγάλȣ βασιλέως ὀφθαλμοὶ ϗ ὦτα ἀφορῶσαι πάντα ϗ ἀκȣ́ουσαι. Frustrà hîc obganniunt adversarii, sequi, *Angelorum obedientiam, si non sit propriè dicta, non esse laude dignam.* Respondeo cum *Arnoldo Corvino*, si laus propriè sumatur, concedimus, ideóque omnes laudes, & speciosa encomia, quæ habent sibi

Philo Jud. de somn.

multicubi attributa, non ad Angelicæ obedientiæ præmium, ſed ad alacritatis noſtræ, & imitationis debitæ, irritamentum putamus ita magnificè prædicata.

Potui alia, ſed non expectatis, ſpero, ut epiſtolari compendio expediam omnia: ſummatim hæc.

Si Deus, in converſione
1. hominis, gratiâ agit irreſiſtibili, ſequitur primò, quòd non alii converti poſſunt, quàm qui actu & reipſâ convertuntur. Secundò, Quòd non poterit quis antè converti, quàm reipſâ convertitur, quæ

fuſiùs

fusiùs *Remonstrantes* persequuntur, & probant esse cum divinâ bonitate ἀσύγκατα.

Habetis *A. A.* periculosæ opusculum plenum aleæ, solicitatam quæstionem, ubi incautis saltem sit facilis hinc in Pelagianismum, inde in Manichæismum, & Stoïcismum, lapsus: Sed gratiæ *ductu*, non *tractu*, nitallor,

Ἔ Φυγον κακὸν, ζυγὸν ἄμεινον.

Valete.

Epistola Tertia,

DE

VOLUNTATE

ETIAM

Ab ultimo dictamine Intellectûs

Liberatâ.

Summarium.

1. VOluntas *frustrà Fato subducitur, quæ* Intellectui *dictanti subjicitur.*

2. Castor, Pollux, Helena, *ambigua navigantium* μετέωρα. *Intellectus, Voluntas, Appetitus, agentium* παρεάλληλα.

3. *Soli* Bonaventura *&* Gerson *Intellectum amovent, ut Amorem substituant.*

4. Intellectum *&* Voluntatem *esse ipsam Animam.*

5. I.C. Scaliger, Durandus, Buridanus (*si non ipse* Aristoteles) *tantundem censent.*

6. *Ut distincti tamen termini explicantur.*

7. *Ad electionem quæ requiruntur.*

8 *Contra imperium, vel dictamen coactivum, arguitur. Incommodum ab apprehensione* Voluntatis, *præsidio identitatis, evitatur.*

9. Pavonii *distinctio de imperio formali, & virtuali, excutitur.*

10. *Argumentum* Penotti *antecedaneum judicio, exacto eodem, appositè repetitur.*

11. *Voluntas à Naturâ distinguitur; quomodo eadem circa ultimum finem versatur.*

12. *Ut & circa fines subordinatos, præsertim ubi, majori bono derelicto, minus eligèt, ut* αὐτουρέτειαν *exerceat.*

13. *Appetitus* ὀρεκτικὸς *da-*

depulsor Voluntatis, à dictamine vel consilio Intellectus.

14. *A* Penotto *&* Arriagâ *receditur.*

15. *Voluntas à medio solitario non cogitur.*

16. *Textus* Philosophi 3. Ethic. *ab omni suspicione liberatur.*

17. *Voluntatem tollit, qui dictamini summittit, opportunè monitum à doctissimo* Suarez.

18. *Voluntatem agere in se mediante Intellectu, non ita rectè affirmatum.*

19. *Arbitrium quomodo manus consilii.*

20. Aphrodisiensis Voluntas Epimethis.

21. Philo *an iniquior Voluntati, inquirendum proponitur.*

Ad

Ad Eoſdem

DE

Voluntate etiam ab ultimo dictamine Intellectûs liberatâ.

QUin *tertium* vultis, Amici, *cuneum* ! *Triplex* certè *nodus* poſtulat, Nec tamen opus *bipenni Tenediâ*. Minori cum periculo in amplexu *Jovis Tonitrui* jacuit *Semele*, licèt eadem in fumum dicitur & cineres abiiſſe, quàm ſi rovæ credatur

Stoæ,

Stoæ, *Voluntas* ſe ſubmiſſa *Gratiæ*, invitanti quamvis, aut *funibus* eam *amatoriis attrahenti.* Qui tam r.
benigno deſponſatam *exitio* nuper ſummovimus, ἄδωρον ἄδωρον, *ingratam operam* contuliſſe videamur, ſi facultatum omnium Imperatricem, & Dominam perpetuo dein ſervitio addiceremus. Vindicanda eſt ab inſultu domeſtico, & nativo ſuo jure munienda; *Conſilium* audiat, at non interim oppreſſa judicio *dictamini* ſubjaceat. *In Arce Animæ* & *ſolio* ſedeat *Ordinatrix actuum*, nec, nihil demerita, ad catenas

iterum

iterum & carcerem detrahatur. Cui dum *libertatem* ſuam & πρωτεῖον aſſerimus, Cæſareo monitu nobis interim cavendum novimus, & *A. A.* ſeriò præcavebimus, ne aut *pertinaciam pro telo*, aut *faſtidium pro muro* habeamus.

J. C. Sc. Ex. 307. ſect. 25.

2. Quod de *Dioſcuris* in flammas converſis fabulantur *Poëtæ*, quas aiunt, *geminas* apparentes, ſalutaria eſſe numina navigantibus, *ſingulas* autem mali aliquid & infauſti ominantia, eóque magis ſi terribilis illa, quantumvis uterina, furia, *Helenam* vocant, *geminas* haſce *flammas*

mas fugaverit; idem ego penè dixiſſem de *binis* animæ, ut loquuntur, *potentiis*, *Intellectu* nimirùm & *Voluntate*, rejectâ fabulâ, verè poſſe, & ſcitè affirmari; quæ *conjunctæ*, humano actui prælucentes, ſerena omnia & fauſta pollicentur; infelici autem diſſidio *ſeparatæ* turbata eadem, & in pejus ruentia: quòd ſiquando fatalis *Helena*, *Appetitum* ſcilicet *ſenſitivum* intelligo, ſe his inauſpicatò interſerat, & divinum illud intellectùs lumen, ipſumque adeò *oculum voluntatis* (ut *Intellectum* appellat eleganter

ganter *Pavonius*) prodeat obcœcatum, quàm mirè homines *Nyctalopas* reddat, nocturnis occupatos tenebris, palpantes, præeunte nullo judicio *intellectûs*, captantes omnia, & plerunque peſſima proſequentes! *Intellectum* ergo neceſſariò requirì ad palmarium illum actum *Voluntatis*, *electionem* intelligo, ratione nullâ, quâ probari poſſit, nulliúſve authoritate eget, quâ debeat ſuffulciri. Soli ſunt, ut obſervat *Hurtadus*, qui communi huic, hodiéque receptæ, & jam verè paſſivæ, ſententiæ minimè ſub-

Diſp. de An. 14 ſ. 4.

ſubſcribunt, *Bonaventura* & *Gerſon*, qui *non tam ſcholaſticè*, ut ait, *quàm devotè, cenſent, in viâ unitivâ, Voluntatem, cognitione ſeoluſâ, per amorem ardere in Deum.* Utrùm autem *moveat* tantùm, an potiùs *imperet Voluntati Intellectus*, quæſtio eſt, ὄχθες καὶ πρώην nata, ſed quæ magna olim ingenia exercuit, & hodie etiam exercet adeò, ut lis adhuc ſub judice eſſe videri poſſet. In quâ tractandâ *duo* ſunt à nobis ſummam curam poſtulantia, ut *Intellectui* ſuam *dignitatem* vindicemus, & *Voluntati* ſuam ſacroſanctam *libertatem*

3.

tatem tueamur. Utraque hæc facilè me facturum existimo, si illa fecero non sibi mutuò dominantia, sed fraterno potiùs amore conjuncta, &, ut *Hippocratis* voce utar, ἀδελφισμένα. Id inprimis præmissum volo, quod vulgò minùs vendibile videatur, *Intellectum* nimirùm & *Voluntatem* nec vires esse, nec facultates, nec potestates, nec accidentia, sive absoluta, sive relativa; nec realiter (ut loquuntur vulgò) à se invicem, nec utraque ab essentia animæ distincta; sed esse *ipsam animam*, principium sibiipsi ἀπαρχὲς, quæ

4.

quæ ſe ad intelligendum promovens, dicitur *Intellectus*, ad volendum, *Volũtas*, quam vocat Magnus *Scaliger*, *Intellectum extenſum*, *Intellectum promotum*. Idem ferè aſſerit *Durandus*, *Intellectus & Voluntas in nullo abſoluto differunt, ſed ſolùm per reſpectum ad diverſos actus*; idem *Buridanus*, nec aliud quicquam ipſe *Philoſophus* 6. Ethic. cùm vocat προαίρεσιν vel ὄρεκτικον νῶν, vel ὄρεξιν διανοητικὴν; non enim ſentio duas potentias realiter diſtinctas legitimè poſſe de ſe mutuò concretivè prædicari. Quæcunque ergo in progreſſu

Ex. 307. ſ. 3.

Eth. l. 3. E. 2. Cap. 2.

greſſu ſum de his, ut aliquo ſaltem modo diſtinctis, prolaturus, de diſtinctione tantùm *rationis* omnia velim intelligi. Quibus in anteceſſum ablegatis, ut terminorum aliquam rationem habeamus, cum *Pavonio* dico.

5. *Voluntas eſt appetitus quidam univerſalis, habens pro objecto quodcunque bonum, habens proponentem objectum potentiam,* ut loquuntur, *univerſalem, nempe Intellectum, cujus objectum eſt omne ens.* Per *libertatem* intelligo indifferentiam quandam indeterminatam, *h.e.* irreſtrictam ad duorum terminorum

norum alterutrum, ſive duos *actus* poſitivos includant, *velle* & *nolle*, quæ dici ſolet *cõtrarietatis*; ſive alterum *privationem* actûs poſitivi, ſcilicet *non velle*, quæ vulgò *contradictionis* libertas appellatur, à *Zenone* ἐξουσία αὐτοπραγίας definitur. Dico ultrà cum *D. Thomâ. Ad electionem*, 1 p. q. 83. in quâ ſpectatur *libertas* a. 3. c. prædicta, *concurrit aliquid ex parte cognitivæ virtutis, & aliquid ex parte appetitivæ: Ex parte cognitivæ requiritur conſilium, per quod dijudicatur, quid ſit cui præferendum: Ex parte autem appetitivæ requiritur, ut appetendo acceptetur* 7.

greſſu ſum de his, ut aliquo ſaltem modo diſtinctis, prolaturus, de diſtinctione tantùm *rationis* omnia velim intelligi. Quibus in anteceſſum ablegatis, ut terminorum aliquam rationem habeamus, cum *Pavonio* dico.

5. *Voluntas eſt appetitus quidam univerſalis, habens pro objecto quodcunque bonum, habens proponentem objectum potentiam*, ut loquuntur, *univerſalem, nempe Intellectum, cujus objectum eſt omne ens.* Per *libertatem* intelligo indifferentiam quandam indeterminatam, *h.e.* irreſtrictam ad duorum terminorum

norum alterutrum, ſive duos *actus* poſitivos includant, *velle* & *nolle*, quæ dici ſolet *cõtrarietatis*; ſive alterum *privationem* actûs poſitivi, ſcilicet *non velle*, quæ vulgò *contradictionis* libertas appellatur, à *Zenone* ἐξουσία ἀυτοπραγίας definitur. Dico ultrà cum *D. Thomâ. Ad electionem*, in quâ ſpectatur *libertas* prædicta, *concurrit aliquid ex parte cognitivæ virtutis, & aliquid ex parte appetitivæ: Ex parte cognitivæ requiritur conſilium, per quod dijudicatur, quid ſit cui præferendum: Ex parte autem appetitivæ requiritur, ut appetendo acceptetur* 1 p.q.83. a.3.c. 7.

ceptetur, quod per consili-um dijudicatur. Quod hîc sub *consilii* nomine effertur, in triplicem cognitionis actum à Pavonio dividitur, nempe simplicem apprehensionem bonitatis objecti, judicium de objecto prosequendo & appetendo, imperium denique prosecutionis, quo intellectus actu ordinat appetitum ad objectum, cùm per judicium non ordinaverit, sed tantùm dixerit esse ordinandum. Et hoc est illud *ultimum dictamen* vulgò receptum, quod ego tamen rejicio prorsùs, ut rectæ rationi minimè consen-

ſentaneum. Nec eò ſum modeſtiæ deventus (Scaligeri, illius ſummi, verbis, non hîc ſolùm loqui prurio) ut non ſim illud auſus improbare propter præceptorum reverentiam, quod approbare nequeo propter deformitatem ineptiarũ, atq; reclamantium cauſarum rationem. Principio ergò non alio utar argumento, quàm quo ante uſus eſt ipſe *Pavonius*, de actibus animæ vegetativæ non imperatis, *Nihil*, inquit, *eſt capax imperii quod non eſt capax apprehenſionis.* At Voluntas, communiter dicta potentia cœca, non cogni- 8. *Diſp. 2. Q. 3.*

cognitiva, apprehensiva dici non possit. Quòd si urgeat, remoto imperio, æquè requiri apprehensionē illam Voluntatis sc. eligentis secundum simplicem apprehensionem Intellectûs, aut eandem sequens judicium; ingenuè fateor, cùm antea sensi Intellectum & Voluntatem esse potentias realiter à se invicem, aut utramque ab ipsâ animâ distinctas, hîc me sæpiùs rotavi, sæpiùs torsi, quasi lumbricus, nec memet unquam potui expedire: at jam, mutatâ sententiâ, respondeo, Anima intelligendo cognoscens hoc

vel

vel illud esse eligendum, nullâ specie ab Intellectu Voluntati impressâ, nullo dictamine, nullo imperio transmisso, *volendo* eligit, quod *intelligendo* esse eligendum cognovit. Sed & aliud habeo *Pavonio* regerendum, quem video de viâ cedentem, nec sine distinctionis arbitrio priorem sententiam ulteriùs prosequentem, ait enim, *Post formatum semel judicium satis est ad movendum voluntatem simplex apprehensio de objecto judicato.* Quò ergò abiit prosecutionis imperium? Respondet, *Isti actus intellectûs simplicis apprehensionis &* Sect. 2.

K *judi-*

judicii, *quamvis non sunt imperium formale, sunt tamen imperium virtuale*; sed omninò excrementa sunt hæc tumultuosi simul & volitantis ingenii; Præterquam enim quòd frustrà arrogat intellectivo actui imperii titulum, & inani illo dictionis diverticulo quærat subterfugium, videtur nostras partes egisse, & *formale* suum *imperium* exclusisse; si enim sufficiat *imperium virtuale*, quorsum, obsecro, vel quando, sit illud alterum *formale* adhibendum? tunc tandem, cùm voluntas suâ *libertate* (dicam an *licentiâ* potiùs nimis

mis pertinaci?) *virtuali* sit *imperio* refragata, & *formalis* ergò vinculis coercenda; quid enim aliud ista pollicentur? *Differunt, inquit, hi duo actus ab imperio formali, quòd cum his non semper conjungitur tendentia voluntatis ad objectum, cùm ea necessariam conjunctionem habeat cum imperio formali;* pergit, *nunquam enim dicimus, Fac, nisi simul velimus fieri quod præcipimus.* Sisto hîc, & redarguo: si *simul* illud præcisè sumatur & strictè, non debet *Voluntas Intellectui* quod vult, quippe qui non priùs *imperat* quàm Sect. 2.

vult; quod si laxiori sensu accipiatur, jure putetur illud velle *Voluntatis* præcedere imperativum actum *Intellectûs*; imò ipsa *Voluntas* est, quæ *Intellectum* jubet imperare & seipsam imperanti obedire. Frustrà ergò vocatur *imperium*, quod ex alieno pendet arbitrio; Imò frustrà conatur Pavonius ex omnium rerum dominâ *Voluntate* efficere manicipium alienæ libidinis. Hîc occurrit opportunè satis argumentum *Penotti*. *Intellectus ultimum judicium practicum prolaturus à se nequit idem incipere; si autem ab ipsa*

10. *Propugnac. Human. Libert.*

pſâ Voluntate moveatur, ut reverà dicendum eſt, quâ ratione ante abſolutum judicium *Voluntas* habet actum liberum, quo poteſt ponere vel non ponere illud judicium, eâdem, perfecto judicio, poteſt poſitum vel recipere, vel recuſare; quoniam niſi poſſet recuſare, non ultrà *Voluntatis* naturam haberet, ſed in ipſam potiùs *naturam* converteretur, ſic enim D. *Thomas* voluntatem à naturâ diſtinguit. *Voluntas & Natura ſecundum hoc differunt in cauſando, quia Natura determinata eſt ad unum, Voluntas non eſt; Horum* 11. *p.* 1 *q* 41. *a.* 2. *c.*

rum est igitur principium Voluntas, quæ possunt sic vel aliter esse; horum, autem quæ non possunt, est principium Natura. Versatur ergo circa ultimum finem, non ut *Voluntas*, sed ut *Natura*, quo oblato non conatur sibi aliàs debitam *libertatem* asserere, cùm una *libertas* est, perpetuò illi emancipari; nec aliò possit *Intellectum* jam, ut verè dicam, *adeptum* divertere; nam quid hoc aliud esset quàm *Sisyphi* saxum volvere, quàm, inverso naturæ ordine, ultimum finem ad media ordinare? *Est* enim, ut notat *Scaliger*, *appetitio omnis*

omnis ab aliquâ privatione producta, quare cùm in ultimo fine ſit omnis boni perfectio, eſt nullius ibidem *privatio*, nec cujuſquã queat eſſe *appetitio*. Quod autem ad fines ſubordinatos attinet, *Intellectu* ultimatè judicante hunc vel illum eſſe eligendum, *Voluntas* poſſit utrumvis eligere, qui ſi ut bona inæqualia proponantur, fieri poteſt, ut illud eligat, quod Intellectus minus bonum eſſe judicavit. Quod ſiquis dixerit, minus bonum reſpectu majoris habet aliquam rationem mali, agnoſco quidem, ut oppoſiti bono 12.

honesto, non ut oppositi bono jucundo, χαλεπὰ enim τὰ καλὰ, ut dici solet, ergò in minori bono minor difficultas, & ubi minor difficultas, ibi aut est, aut apparet, major voluptas. *Voluntas* ideò, rejecto honesto majoris boni, judicante *Intellectu*, eligit jucundum minoris boni, alliciente *Appetitu*. Quòd si adhuc ulteriùs prematur, *Intellectum*, comparatione factâ inter honestum majoris boni & jucundum minoris, *Voluntati* dictâsse illud huic esse præferendum; Dico,

13. Duo sunt voluntatem allectantia, *Intellectus* &

Ap-

Appetitus ſenſitivus; cùm ergò illi *debeat* obedire, & huic *poſsit*, eligit magis, pro nunc ſaltem, *potentiam* arripere, (niſi rectiùs eandem ipſam *arreptam* dixero) quàm *debitum* perſolvere; & actum elicit *Appetitus* imperio reſpondentem, *Intellectûs* judicio & motui repugnantem. Hinc tritum illud *Medeæ*,—*Aliudque cupido, Mens aliud ſuadet*; *video meliora, probóque Deteriora ſequor* —

Et alibi apud Græcum,

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακὰ,
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

Τοῦτό τὸ ἔνοχον γεγενῆσθαι

τῷ πάθει. *Hoc est, se tradidisse animi perturbationi,* inquit *Clemens.* Efficaciùs adhuc *Simplicius* in *Epictetum*, à clavo ductâ similitudine, ποῖος δὲ ἥλος οὕτω προσηλοῖ, ὡς τὰ ἄλογα ταῦτα πάθη, ποιοῦντα τὴν ψυχὴν ἐν νομίζειν ἑαυτὴν, καὶ ἀυτὰ, καὶ τὸ σῶμα; *Quis verò clavus sic affigit, ut bruti isti affectus? qui efficiunt ut putet animus & seipsum & illos, & corpus esse unum.* Et quod à malo fit, cur non idem à minori bono fieri possit? nisi eâdem similitudine translatâ ad *Intellectûs* dictamen, sit tanta vis ei tribuenda, ἵνα ἥλῳ τὸν ἦλον ἐκ-

Strom. lib. 2. Ad cap. 60

ἐκκρέσῃ *ut clavum clavo pellat*, & mutet consilio quam *Voluntas* habet ab importuno appetitu pertinaciam. Longè alia ratio hujus dictaminis, ac quæ fato *Stoæ* tribuitur.

Ὡς ἕψομαι σπουδαίῳ ἠδὲ ἀόκνῳ, — *Epictet. Enchir. cap. 77.*

Ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλω, οὐχ ἥττον ἕψομαι.

Hîc enim bona tantùm sequitur Voluntas, non etiam mala, nedum coacta.

Non probo hîc quod magnus ille libertatis humanæ propugnator asserit. Primò, quòd *objectum Voluntatis est bonum in communi, non majus bonum; Ergo minus bonum est*

est objectum Voluntatis, in quod illa potest tendere. Secundò, *Si minus bonum proponeretur Voluntati, ipsa etiam possit in illud tendere.* Dico enim, quòd quantumvis *minus bonum* per se sumptum, & à *majori* separatum, sit *Voluntatis* objectum; cùm tamen *majori* conjunctum habeat aliquam rationem *mali*, desinit habere rationem *objecti*. Quòd autem huic addit *Arriaga, Minus bonum, ut minus, non posse eligi, ut bonum posse*; Moneo, frustrà semel co junctı ibit separatum; cùm enim duo bona inæqualia ab *Intellectu* sint, quamvis

Disp. 7. de An. sect. 3. subsect. 1.

vis ſimplici tantùm apprehenſione, recepta, &, nullâ comparatione factâ, *Voluntati* tranſmiſſa, in noſtro caſu *Voluntas*, aliquo affectu incitata, quantumvis idem non ut *minus*, nihilominus *minus* eliget. Pari conatu nonnulli hîc apponunt nobis ſecunda fercula, dicentes, *Voluntatem paſſam ſe pro ſuâ libertate à minori bono, non autem à majore moveri.* Quibus illa tantùm reponam: *Voluntas* in ſuo actu electivo non eſt ita *paſſivè* proſtituta, ὄρεξις enim ὁρμὴ ἠ βόλησις ἐν τῷ πρακτικῷ, ut obſervat Scaliger: quòd ſi, cùm ſic loquitur, aliter

Ex. 307. *ſ.* 9.

aliter sentiat, mutato sensu verba usurpemus, ut & quæ alibi effert, cùm ait, *Voluntas nonnunquam vult velle suum*, quod non fit tantùm in ipsa *sententiæ perseveratione*, atque *animi constantiâ*, sed & in primâ sententiæ pronunciatione, cùm apud *Senatum Animæ* se probare statuit αὐτόβουλον αὐτεξούσιον, αὐτοπρόαιρετον. Sed videor adhuc difficultatem novam me hinc aliò avocantem. Suppono enim *Intellectum* aliquod particulare bonum *Voluntati* offerentem, ut medium ad summum illud solitarium: Dicunt plerique, Vo-

Voluntatem ad hoc non minùs quàm ad ultimum bonum neceſſitari; quod ego illis nudè aſſerentibus non ſum quidem temerè conceſſurus: Quantumvis enim *Voluntas* de *facto* ſit bonum ita ordinatum ſemper electura; ſi tamen de *poſſe* diſputetur, & libertati arbitrii lis intendatur, modò non ſit bonum prædictum loci & temporis circumſtantiis alligatum, ita ut hîc & nunc ſit neceſſariò eligendum, *Voluntas* poteſt electionem ſuam in aliud tempus ſaltem *differre*, ſi non in perpetuum *detinere*.

Sed quid illud eſt, quod

ait

ait *Philosophus*, 3. Ethic. cap. 3. Ἐκ τῆς βουλεύσεως ὀρεκτὸν κρίναντες ὀρεγόμεθα κατὰ τὴν βούλευσιν. *Ex eo quòd deliberavimus, secundum deliberationem judicantes appetimus.* Hinc elici posse videantur utramque libertatem excludentia, 1. κρίναντες ὀρεγόμεθα, *judicantes appetimus*, ergò non actum suspendimus. 2. κατὰ τὴν βούλευσιν ὀρεγόμεθα, *secundum deliberationem appetimus*, ergò non contrarium eligimus. Certè minantur hæc soluto *Voluntatis* Imperio, quæ tamen moderatiùs sumpta de prærogativa ejus nihil diminuunt. Inprimis perspicio

ſpicio ſatis ſibi conſuluiſſe interpretem, ſuóque ſenſui indulſiſſe præpoſitionis vim à temporis reſpectu ad quandam quaſi *cauſalitatem* transferentē, aut, quicquid eſt, ambiguam reddidiſſe. Ἐν τῷ βουλέυσασθαι enim nihil aliud implicat quàm *deliberatione factâ*, vel *poſt factam*; ut & quæ ſequũtur itidem ordinem reſpiciunt, προαιρούμεθα ὀρεγόμεθα, *præmiſſo ſcilicet judicio appetimus*; nec enim præcipitem ſe dantem arguo *Voluntatem*, hoc eſt, abſque conſilio judicióque eligentem, quæ more Regio, ſatrapas ſuos & συμβουλευτὰς audire po-

poterit propositâ disceptantes, aut quomodo libet deliberantes; haud tamen minùs silere interim, & sua ipsius placita prorogare, quod est actum eligendi suspendere. Itane verò? inquiunt, cùm κατὰ τὴν βέλευσιν ὀρεγόμεθα; *secundum deliberationem appetimus?* Imò, scilicet, cùm, nullâ superveniente silendi ratione, aut irrationali potiùs affectu, appetimus. At, tum saltem, quod unum superest, ultimato judicio *Intellectus* contraire nequeat, & contrarium eligere. Quippe ni! imò quidem tum (sensum inno-

vo

vo utriuſque linguæ vocum vulgò aliter acceptarum) ἐπιβάλλουσιν exercebit, *adjudicabit*, hoc eſt, denuò intra ſe conſilio inito, aliud prorſùs eligendum ſentiet, eliget; utut hoc agendo, (Grammaticis ſuam vocem reſtituo) ἀντεπιβάλλω ſit, quod apud Heſychium eſt, *ſuis ipſius capta inſidiis*, & à recto eligendo aliena. *Ratio igitur iſta apud me eſt irrefragabilis* (verbis utor doctiſſimi Suarezii) *ſi judicio rationis eſt ita prærequiſitum ad operandum, ut in ſuo genere ſit cauſa neceſſaria ad actum liberum Voluntatis*; 17. P. 1. Diſp. 19. ſ. 6.

&

poterit propoſita diſceptantes, aut quomodo libet deliberantes; haud tamen minùs ſilere interim, & ſua ipſius placita prorogare, quod eſt actum eligendi ſuſpendere. Itane verò? inquiunt, cùm κατὰ τὴν βέλευσιν ὀρεγόμεθα; *ſecundum deliberationem appetimus?* Imò, ſcilicet, cùm, nullâ ſuperveniente ſilendi ratione, aut irrationali potiùs affectu, appetimus. At, tum ſaltem, quod unum ſupereſt, ultimato judicio *Intellectus* contraire nequeat, & contrarium eligere. Quippe ni! imò quidem tum (ſenſum innovo

vo utriuſque linguæ vocum vulgò aliter acceptarum) ἐπιβάλλουσιν exercebit, *adjudicabit*, hoc eſt, denuò intra ſe conſilio inito, aliud prorſùs eligendum ſentiet, eliget; utut hoc agendo, (Grammaticis ſuam vocem reſtituo) ἀντεπιβάλλῳ ſit, quod apud Heſychium eſt, *ſuis ipſius capta inſidiis*, & à recto eligendo aliena. *Ratio igitur iſta apud me eſt irrefragabilis* (verbis utor doctiſſimi Suarezii) *ſi judicio rationis eſt ita prærequiſitum ad operandum, ut in ſuo genere ſit cauſa neceſſaria ad actum liberum Voluntatis;* 17. P. 1. Diſp. 19. ſ. 6.

&

&, illo judicio posito, Voluntas non potest non consentire illi: ergo Voluntas non est talis potentia, quæ, positis omnibus absolutè prærequisitis ad operandum, possit velle & non velle; ergò non potentia libera (mantissam injiciam) ne *potentia* quidem, sed *impotentia* non *libera*, sed *serva*, nec *Voluntas* magis quàm *Noluntas* dici mereatur.

18. At non agnosco interim temperamentum, quod miscet, aliàs, cautissimus, *P. Jesuita. Si judicium interdum videtur efficaciter impellere, totum est in virtute alicujus actûs efficacis ejusdem Voluntatis qui præcessit*

ceſsit; Quando autem talis Voluntas efficax non præcedit, impoſsibile eſt, ut imperium Intellectûs habeat illam vim impulſivam efficacem: Intellectus enim quod ipſe videt, aut ſe videre cogitat, rationi maximè conſentaneum judicat, exhibet, non quod *Voluntas* judicandum præſtituit, nec illa reſpicit actum præcedaneum, ſed præſentem eligit, eligítque quod ſibi *liberæ*, haud *imperatæ*, placeat, non quod voluit, vi aut gratiâ, *Intellectui* priùs placuiſſe. Quod ergò *Penottus* obſervat, *D. Thomam* advertiſſe, *Scripturam non vocare*

care Arbitrium Consilium, *sed manum Consilii*, id est, *quæ regit Consilium*, *manus verò, quæ Consilium regit*, *est imperium Voluntatis*; non solùm actum imperii respicit, qui dicitur *Usus*, vel quicquid sit ulteriùs exercet, aut antecedenter actui *Intellectûs*, aut (quod etiam aiunt) in ipso actu, per modum assistentiæ, concomitantiæ, præsidentiæ, &c. sed magis principaliter, quem, peractâ deliberatione, & propositione *ultimi* (ut vocant) *dictaminis*, pro suo arbitrio exerit, vel ad quamvis instantiam, si visum ei fuerit, suspendit.

Nec

Nec enim *vult* tantùm, ſed ſuum *velle vult*, &, ſi nolit, *nolle* aut *non velle*, οὐθὲν γὰρ ὄφελος τὸ βουλεύσασθαι περὶ τῶν πρακτέων, εἰ μὴ καὶ προαίρεσις ἐπακολουθῆται ἢ τίς ἐστιν ὄρεξις βουλευτική, ut rectiſſimè Aphrodiſienſis, ubi annon ſupponit ὄρεξιν ἐπιβουλευτικὴν, *Epimethida Voluntatem*, poſt *dictamen Intellectûs* novas ſecum rationes & conſilia ineuntem, curent ſcilicet quibus aut cauſa ſuppetit, aut otium; ut & Philonem citare ad Comitia ſapientum, qui occupavit titulos *Voluntati liberatæ* jure debitos, quibus *Intellectum* ejus Im-

20. Περὶ ψυχῆς κεφ. περὶ ὁρμῆς καὶ τῆς ὀρεκτικῆς διακρίσεως.

Imperio ſubditum, aut conatu irrito contranitentem decoraret. Unde eſt, quòd apud eum nunc τύραννον τῆς ψυχῆς & ἡνίοχον dicatur, aliàs βασιλεὺς σωματικῆς χώρας, alibi adhuc ἐπιμέλειαν ἢ ἐπιτροπὴν ἀνημμένον ἁπάντων, quæ omnia *Primatus* inſignia (niſi *Ultimatus* potiùs audaculi dixerimus) Voluntati eſſe tribuenda aut ex præmiſſis conſtat, aut ſubſidunt (quod abſit) Rationes adductæ & penitùs collabaſcunt.

FINIS.